DE
FONTE INCREDULITATIS
AC
DE VERITATE RELIGIONIS
CHRISTIANAE
THEOLOGICAM DISPUTATIONEM

PVBLICE INSTITVIT


D. THOMAS MARCHIO AREZZO

ECCLESIAE AGRIGENTINAE CANONICUS DECANUS

IN COLLEGIO NAZARENO SCHOLARUM PIARUM CONVICTOR
ET SACRAE THEOLOGIAE AUDITOR

FACTA OMNIBVS CONTRADICENDI POTESTATE.

15



ROMAE MDCCLXXVII.
EX TYPOGRAPHIA JOHANNIS ZEMPEL.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

PROPOSITIONES THEOLOGICAE

De fonte incredulitatis, & de veritate chriſtianae religionis adverſus modernos incredulos.

1. Chriſtiana fides hominibus corde corruptis placere non poteſt.
2. Cordis autem corruptio fons eſt incredulitatis.
3. Hinc retunditur jactantia Incredulorum, Chriſtianis corruptos mores exprobrantium, ac de progreſſibus incredulitatis gloriantium.
4. Hoc autem argumenti genere, quo ſcilicet quam turpis ſit origo incredulitatis oſtendimus, rectiſſime, & jure optimo utimur; nec niſi immerito ob id de nobis conqueruntur increduli.
5. Perperam iidem incredulitatis originem, ejuſque progreſſus renaſcentiae, & progreſſui ſcientiarum tribui oportere contendunt.
6. Ut autem corruptio cordis origo eſt incredulitatis, ita ejuſdem eſt terminus.
7. Neque enim apud incredulos inveniuntur aut efficacia frena vitiorum, aut apta ad virtutem incitamenta; etiam apud eos qui Religionem, ut vocant, naturalem profitentur.
8. Idque incredulorum Scripta confirmant.
9. Inaniter contra hanc veritatem pugnat Bayle exemplis Diagorae, Euhemeri, Epicuri, Litteratorum Sinenſium, Gronelandorum, Sadducaeorum &c.
10. Chriſtiana Religio ſola eſt quae verum finem ultimum hominis, quo beatus fiat, homini demonſtrat.
11. In Deo certe, quem eſſe ultimum finem hominis docet Chriſtiana Religio, omnia concurrunt, quae ad rationem finis ultimi requiruntur.
12. Qui vivit ut vult, etiamſi nihil male velit, niſi eo fruatur, quod eſt hominis optimum, beatus dici non poteſt.
13. Porro nec in exterioribus bonis temporalibus, neque in corporis voluptate, vel ejuſdem quiete ſitum dici poteſt id, quod eſt hominis optimum.
14. Sed neque agnoſci poteſt poſitum ſummum hominis bonum in ſenſu, atque in intelligentia; imo neque in virtute.
15. Solus proinde Deus vere eſt ſummum bonum, & ultimus finis hominis, cujus fruitione efficiatur beatus.
16. Hinc ex appetitu beatitudinis omnibus hominibus indito evincimus exiſtere Deum.
17. Inde pariter inferimus & in Deo eſſe Providentiam, & ad eam homines pertinere.
18. Tum vero deducimus dari aeternam atque immutabilem legem, cujus in nobis participatio lex naturalis dicitur; ac proinde virtutem a vitio intrinſeca differentia ſecerni.
19. Ex frequenti impiorum in hac vita felicitate, & bonorum calamitate oſtendimus, animam hominis, quoniam ad Providentiam Dei pertinet, non interire cum corpore.
20. Unde ſequitur, ipſam non eſſe temperamentum corporis, ſed ſpiritualem ſubſtantiam, quae neque a corpore ſeparata poſſit interire.
21. Sed neque rationali animae ille interitus formidandus eſt, quo fiat, ut omnino non ſit: idque etiam deducimus ex naturali beatitudinis appetitu.
22. Scilicet ad veram beatitudinem requiritur, ut poſſeſſio ſummi boni ſit aeterna, utque creatura rationalis illud poſſidens de eo numquam amittendo certa ſit.
23. Requiritur praeterea, ut objectum beatificum rationalem animum intime afficiat.

24. Cum

24. Cum autem homo in quaerenda, ſequendaque beatitudine adeo deviet, inferimus, ipſum a ſtatu felicitatis in eum, in quo nunc verſatur, alicujus peccati merito fuiſſe prolapſum.
25. Quod peccatum in omnes homines propagari ex miſeriis hujus vitae colligimus.
26. Tum vero Revelationis neceſſitatem adſtruimus ad ſperandam, obtinendamque non ſolum illius, ſed & actualium peccatorum remiſſionem.
27. Neceſſariam pariter oſtendimus revelationem ad ſpem beatitudinis, atque ad notitiam mediorum, quibus ad eam perveniatur, & denique ad cultum Dei.
28. Quin & propter illa eadem, quae ceteroquin ratio poſſet attingere neceſſaria fuit homini Revelatio.
29. Divinam porro revelationem contineri in ſacris Chriſtianorum libris mira vaticiniorum, & hiſtoriae conſenſio demonſtrat.
30. Quae quidem vaticinia libris ſive veteris ſive novi Teſtamenti aſſuta poſtmodum fuiſſe contendere, perverſiſſimae inſaniae eſt.
31. Sed neque de veracitate hiſtoriae ibidem contentae aequo jure poteſt quis dubitare.
32. Quae in iis libris referuntur tamquam vera miracula, vera miracula eſſe ipſa eorumdem librorum auctoritas ex vaticiniis firmata certo perſuadet.
33. Inepte autem Woolſthonus ſanationes, quas a morbis corporis peractas a Chriſto referunt Evangeliſtae, de ſanationibus a vitiis animae conatur exponere.
34. Ex miraculis porro invictum etiam veritatis Chriſtianae religionis argumentum deſumitur.
35. Ipſa pariter mirabilis Chriſtianae fidei dilatatio, atque inter tam multas perſecutiones ad tot ſaecula firmitas magnum miraculum eſt, magnumque veritatis Chriſtianae religionis argumentum.
36 Ipſa denique Judaici Populi per omnes gentes diſperſio, ejuſdemque ſic diſperſi duratio, abſque ulla cum iiſdem gentibus commixtione, valet & ad teſtimonium ſinceritatis codicum V. T., & ad fidem faciendam vaticiniis, tum quae in eo impleta jam ſunt, tum quae in eodem adhuc reſtant implenda, atque ita multimodis militat veritati Chriſtianae religionis.
37. Jam vero Chriſtiana religio ex utriuſque foederis libris tanta auctoritate firmatis ea omnia eruit, atque in ſe una inveniri oſtendit, quae ad beatitudinem obtinendam homini ſunt neceſſaria. Ipſa proinde, & quidem ſola eſt vera religio: ſola pariter vere utilis.
38. Ineptiunt itaque increduli, dum Chriſtianam religionem felicitati reipublicae obeſſe criminantur.
39. Atque iniquiſſime profecto gloriantur, de humana ſe ſocietate optime mereri.
40. Prorſus imo intereſt & publici & privati boni, ut ablegetur incredulitas, utque in omnium cordibus vigeat religio vere Chriſtiana.

Google



EXERCITATIO THEOLOGICA
DE FONTE INCREDULITATIS, AC DE VERITATE CHRISTIANAE RELIGIONIS.

I. IN cauſſa duorum hominum, quorum per unum venumdati ſumus ſub peccato; per alterum redimimur a peccatis: per unum praecipitati ſumus in mortem; per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in ſe perdidit faciendo voluntatem ſuam, non ejus a quo factus eſt; iſte nos in ſe ſalvos fecit non faciendo voluntatem ſuam, ſed ejus a quo miſſus eſt: in horum, inquam, duorum hominum cauſſa proprie Fides Chriſtiana conſiſtit (*a*).

II. Haec porro fides iis placere non poteſt, qui terrenis cupiditatibus dediti temporalibus hujus vitae commodis tantummodo inhiant, ac praeſentibus bonis toti occupantur. Moleſtum ſcilicet iis accidit, quod eis dicitur, in rebus a Deo factis tam magnum bonum eſſe naturam rationalem, ut nullum ſit bonum quo beata ſit, niſi Deus (*b*): temporalium vero rerum mutabiliumque cupiditatem eſſe perverſam (*c*): ſine hac conditum fuiſſe primum hominem (*d*), qui creatus eſt a Deo rectus (*e*), ideſt (*f*), cum bona voluntate, per quam ceteris creatis rebus uteretur tanquam ſibi conceſſis; amore autem non rebus creatis, aut ſibimetipſi, ſed Creatori unice adhaereret (*g*): at ex quo Adam non quidem a bono ſubſtantiali ad malum ſubſtantiale, quia nulla ſubſtantia mala eſt, ſed a bono aeterno ad bonum temporale, a bono ſpirituali ad bonum carnale, a bono ſummo ad bonum infimum mala voluntate, quam a ſe ſibi fecit, delapſus eſt, ſtatim ipſum, univerſumque ejus genus, amiſſo Deo, qui ſolus ſufficit homini, praeter quem nihil ſufficit homini (*h*), inveniſſe abundantiam vanae cupiditatis (*i*): per gratiam autem Mediatoris hic agi, ut a morbo cupiditatis, infuſa deſuper cari-

A rita-

(*a*) S. Auguſtinus L. de Pec. Origin. n. 28.
(*b*) Vid. S. Auguſt. L. de Natura Boni c. 7.
(*c*) Vid. S. Aug. L. LXXXIII. Quaeſt. q. 35, n. 1., & q. 36. n. 1., & Op. imperf. L. III. c. 67., & L. IV. c. 48.
(*d*) Vid. S. Aug. L. IX. de C. D. c. 17., & Op. imp. L. IV. c. 36., & L. VI. c. 14.
(*e*) Eccleſ. VII. 30.
(*f*) Vid. S. Aug. L. de Corr. & Grat. n. 32.
(*g*) Vid. S. Auguſt. L. de Morib. Eccleſ. n. 37., & L. XV. de C. D. cap. 22.
(*h*) Vid. S. Auguſt. Serm. CCCXXXIV. al. XLVIII. de Sanctis, n. 3.
(*i*) Vid. S. Aug. L. XXII. de C. D. c. 22. n. 1.

ritate, interior homo proficienter ſanetur, donec tandem poſſeſſione beatitudinis, ad cujus jus miſericorditer inſtaurati ſumus in Chriſto, penitus auferatur (*a*).

III. Multo minus iis placere poteſt haec Fides, qui in turpiſſimarum libidinum coeno volutantur, ſeque demum felices, ac beatos exiſtimant, cum eas valent explere. Quia enim ſe compararunt jumentis, iiſque ſe ſimiles effecerunt (*b*), malunt, unum eſſe interitum hominum, ac jumentorum, & aequam utriuſque conditionem, ut ſic moriatur homo, quomodo illa moriuntur, nihilque habeat homo jumento amplius (*c*). Grave itaque iis eſt, quod Chriſtiana fides docet, uſque adeo non perire cum corpore rationalem animum, ut nec corpore moriturus eſſet homo, niſi peccaſſet (*d*); per peccatum autem intraſſe mortem in mundum, & ita in omnes homines pertranſiiſſe (*e*): at ſi per hominem mors; per hominem etiam, id eſt per Chriſtum, futuram eſſe reſurrectionem mortuorum (*f*); ipſos proinde, niſi mutatis in melius moribus, abnegatis ſcilicet impietatibus & ſaecularibus deſideriis, pie & juſte & temperanter vivant in hoc ſaeculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriae magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti (*g*), quantum hic in illicitis deliciis fuerunt, tantum habituros poſt hanc vitam tormenti & luctus (*h*), itaut urantur & ſentiant uſque in ſempiternum (*i*).

IV. Sed & iis, qui (*k*) torquente dolore carnalis vinculi nequeunt a libidinoſis operibus temperare; & nihilominus probi, honeſtique homines videri affectant, ac tales revera eſſe ſibipſis volunt perſuadere, diſplicet prorſus, ſi eis dicitur, concupiſcentiam non pertinere ad naturam inſtituti hominis, ſed vitium lapſi, & poenam damnati (*l*); nec habere auctorem Deum (*m*), quippe qui naturarum conditor ſit, non vitiorum (*n*), vitia autem cauſſas habeant non efficientes, ſed deficientes (*o*): itaque ſine ipſa creatum fuiſſe primum hominem (*p*) ſub ſe habentem ſine pugna appetitum ſuum, eique dominantem per rationem ſine ulla mentem inter & carnem diſcordia: peccantem vero juſtam damnationem fuiſſe conſecutam; ut qui cuſtodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne ſpiritalis, fieret etiam mente carnalis, & qui ſua ſuperbia ſibi placuerat, Dei juſtitia ſibi donaretur; nec ſic ut in ſua eſſet omnimodis poteſtate, ſed a ſeipſo quoque diſſentiens pro libertate, quam concupivit, duram miſeramque ageret ſervitutem (*q*); a qua nemo liberat, niſi ille, qui venit quaerere, & ſalvum facere, quod perierat (*r*). Haec enim cum ex Chriſtiana fide dicuntur, omne eis amputatur vel defenſionis, vel excuſationis effugium, ut nec concupiſcentiam laudare poſſint, cui obſequuntur; nec violentiam ejus accuſare, ſi cedunt; non enim

(*a*) Vid. S. Auguſt. L. de Perfect. Juſtitiae n. 9. & L. III. Ope. imperſ. cap. 67.

(*b*) Pſal. XLVIII. 13.

(*c*) Vid. Eccli. III. 19.

(*d*) Vid. S. Auguſt. L. VI. Op. imp. c. 23.

(*e*) Rom. V. 12.

(*f*) I. Cor. XV. 21.

(*g*) Ad Tit. II. 12, 13.

(*h*) Apoc. XVIII. 7.

(*i*) Vid. Judith XVI. 21., Matth. XXV. 46., Apoc. XX. 10.

(*k*) Vid. S. Auguſt. L. III. de Lib. Arb. n. 52.

(*l*) Vid. S. Auguſt. ibid., & n. 51., & L. de Corrept. & Grat. n. 29.

(*m*) I. Joan. II. 16.

(*n*) Vid. S. Auguſt. L. I. Op. imp. c. 16.

(*o*) Vid. S. Auguſt. L. XII. de C. D. c. 7.

(*p*) Vid. S. Auguſt. Op. imp. L. I. c. 70., & L. IV. cap. 10.

(*q*) Vid. S. Auguſt. L. XIV. de C. D. c. 15.

(*r*) Vid. Joan. VIII. 36., & S. Auguſt. Serm. CXXXIV.; al. XLVIII. de verbis Dom. n. 4.

enim cederent libera voluntate, ſi ad gratiam converterentur juvantem, & voluntatem a concupiſcentiae dominatu liberantem (*a*).

V. Iis etiam, qui (*b*) confidunt in virtute ſua, vel qui gloriantur in multitudine divitiarum ſuarum, durum eſt audire, quod de damnata propagine & ipſi veniant, ſintque natura filii irae, ſicut & ceteri (*c*), eantque ex uno omnes in condemnationem ignis aeterni, utique juſtiſſimam (*d*); niſi illius gratia liberentur, qui(*e*) venit humilis, ac mitis corde, apud quem (*f*) non eſt acceptio perſonarum, ſed miſeretur(*g*) cujus miſeretur, & miſericordiam praeſtat cujus miſeretur.

VI. Philoſophis etiam hujus mundi non uno nomine inviſa eſt Fides Chriſtiana; quippe quae illorum & elationi obſiſtat, & nudet vanitatem. Elationi quidem obſiſtit, dum homini ſeipſum ſimplici quadam, apertaque ratione oſtendit; & quae ſit ei propoſita beatitudo, quo merito in tantas quas hic patitur calamitates devenerit, queis nunc morbis laboret, quibus remediis, & a quo poſſit ſanari, quis ei ad beatitudinem aditus pateat, quae via, ſine ullo fuco demonſtrat: illi autem, quamquam ſapientes ſe eſſe dicunt & haberi volunt, in tam diverſas de homine abiere ſententias, dum in eo contemplati ſunt & tam magnam naturae ejus excellentiam, & tam grave ſuper ipſum miſeriarum jugum, ut omiſſa etiam opinionum, in quas nihil de peccato primi hominis vel ſcientes vel credentes prolapſi ſunt, abſurditate, aut etiam impietate; ipſa certe tam multiplex ſententiarum diverſitas eos omnes a vero aberraſſe perſuadeat: quae diverſitas ſententiarum eo major inter ipſos fuit, cum de finibus bonorum, ac malorum maxima intentione diſputarunt, conati invenire quid efficiat hominem beatum: in qua diſputatione Marcus Varro in libro de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter, & ſubtiliter ſcrutatus advertit, ut ad ducentas octoginta octo ſectas, non utique quae iam eſſent, ſed quae eſſe poſſent, facillime perveniret(*h*). Porro ignorata ab ipſis cauſſa atque indole morborum, quibus totus homo gravatur, ignorato praeſentiſſimo eidem homini curando, atque unico remedio, ignorato denique ſummo hominis bono, & quibus ad ipſum itineribus perveniatur; quid prodeſſe iidem potuerint vel ſibi, vel aliis ſuis meditationibus, & operoſis diſputationibus, praeceptis etiam, morumque inſtitutis, jam ex hoc ipſo perſpicitur. Quamquam alio ex capite Philoſophorum hujus mundi vanitas a Chriſtiana doctrina revelatur, atque arguitur tum in moribus, cum in praeceptis. Nam quidquid verum videre potuerunt, & ſive in ſe ipſis exhibere, ſive etiam aliis perſuadere moliti ſunt de Deo mundi conditore, & providentiſſimo adminiſtratore, de honeſtate virtutum, de amore patriae, de fide amicitiae, de bonis operibus, atque omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, neſcierunt ad quem finem, & quonam modo eſſent iſta omnia referenda (*i*).

VII. Illi itidem, qui vel ſibi ipſis ſuperbe placent, vel etiam, quia ſibi placent, ſtudent aliis placere (*k*), faſtidiunt hanc fidem, quae talem eorum appe-

(*a*) Vid. S.Auguſt. in Expoſit. quarundam Propoſit. ex epiſt. ad Rom. n.14, & L.1. Retract. cap.23. n.1.

(*b*) Vid. Pſal. XLVIII. 7.

(*c*) Epheſ. II. 3.

(*d*) Rom. V. 16. 18.

(*e*) Math. XI. 29.

(*f*) Rom. II. 11.

(*g*) Rom. IX. 15. Vid. S.Aug. L.I. de Pec. mer. n.15., & L.II. de Nupt. & Concup. n.8.

(*h*) Vid. S. Aug. L. XIX. de C.D. c.1. n.1.

(*i*) Vid. S.Aug. L.XVIII. de C.D. c.41. n.3.

(*k*) Vid. S.Auguſt. L. LXXXIII. Q. q.36. num. 3. & 4.

titum redarguit ac damnat, & quam ſit perniciosſus oſtendit; eos admonens, primum hominem ideo utique quia ſibi placuit, voluitque uxori placere, tam ingenti, cum tota ſua ſtirpe, ruina cecidiſſe; quam non ſuperba excuſatio potuit avertere, ſed ſola humilis imploratio medicinae, quae per Chriſtum allata eſt, poteſt reparare (*a*).

VIII. Rurſus illi, quos dominari delectat, & hoc eſſe magnum hominis bonum putant, ſi alios habeant ſubjectos ſibi vel potentia, vel opibus, vel ingenio & doctrina, vel aliis quibuslibet praerogativis, nihil aliud in hac Fide Chriſtiana deprehendunt, quam ſuae elationis damnationem, fallaciſque ſuae felicitatis inanitatem detectam & reprehenſam. Non enim poteſt non eſſe magnum malum id, quod in tantas miſerias (*b*) de loco tantae felicitatis dejecit hominem, cujus utique culpa fuit velle dominari, hoc eſt propria poteſtate gaudere & non potius eam majori ſubdere poteſtati. Ut proinde nulla alia ſit in hac vita felicitas vera, quam illi ſubdi, ejuſque veſtigia ſectari, qui licet accepiſſet datam ſibi a Patre omnem poteſtatem in caelo, & in terra (*c*), venit tamen non miniſtrari, ſed miniſtrare (*d*), nec ſuam gloriam quaerere, ſed gloriam Patris ſui (*e*), cui etiam (*f*) factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; diſcipulos autem tamquam ſervos habere noluit, ſed tamquam amicos (*g*), non eos regens niſi tamquam paſtor, qui etiam ponit animam ſuam pro ovibus ſuis (*h*), aut potius tamquam mater, quae portat filios ſuos.

IX. Revocat quoque a Chriſtiana fide homines experiendi per carnem vana & curioſa cupiditas nomine cognitionis, & ſcientiae palliata (*i*), quae (*k*) quoniam in appetitu noſcendi eſt, oculi autem ſunt ad cognoſcendum ſenſibus principes, ſatis convenienter concupiſcentia oculorum in ſacris Chriſtianorum eloquiis (*l*) eſt appellata. Curioſitas inſpirata Evae a Diabolo per ſerpentem locuto (*m*) ipſam ſeduxit: ſeducta autem mulier virum traxit in communionem peccati, ut Dei mandato uxoris praeponeret voluntatem: atque ita relicto Deo, & ad ſe ipſos inclinati primi humani generis parentes, in ſobolem ſuam, una cum poenali ignorantia, hoc etiam inanis curioſitatis, & pravae cujuslibet cupiditatis vitium tranſmiſerunt; ut jam homines, ne ſua ſe curioſitate in quaevis impia, & flagitioſa praecipitent, dono illius indigeant, in quo (*n*) ſunt abſconditi omnes theſauri ſapientiae, & ſcientiae Dei, ut & quae agenda ſunt videant, & quò quaelibet ſint referenda intelligant, & a cupiditate ſupervacanea cognoſcendi animum cohibeant, nec in alio, quam in Domino & glorientur & delectentur. Hanc itaque curioſitatem qui ſectantur, nolunt credere aliquid, niſi ad quod vel ſui corporis ſenſu quinque-partito, vel ſaltem ſuae mentis acie perveniunt (*o*): & quia in hoc ſapientes ſibi, atque prudentes videntur (*p*), tamquam ſtultitiam repu-

(*a*) Vid. S. Aug. L. XIV. de C. D. c. 13. & 14.
(*b*) Vid. S. Aug. Serm. CXII., al. XXXIII. de verb. Dom. n. 2.
(*c*) Matth. XXVIII. 18.
(*d*) Matth. XX. 28.
(*e*) Joan. VII. 18., VIII. 50.
(*f*) Philip. II. 8.
(*g*) Joan. XV. 15.
(*h*) Joan. X. 11., 15.
(*i*) Vid. S. Auguſt. cit. Serm. CXII. n. 3.
(*k*) Vid. S. Auguſt. L. X. Confeſſ. n. 54.
(*l*) I. Joan. II. 16.
(*m*) Gen. III. 1. & ſeq. Vid. S. Aug. L. XI. de Gen. ad lit. num. 4. & L. XIV. de C. D. cap. 11. num. 1.
(*n*) Coloſſ. II. 3.
(*o*) Vid. S. Auguſt. cit. Serm. CXII. n. 3.
(*p*) Vid. S. Auguſt. ibid.

reputant eam fidem, quae & ſuam ipſorum culpat curioſitatem, & falſa eos ſapientiae, & prudentiae ſpecie miſerrime illuſos, deceptoſque eſſe declarat.

X. Denique quicumque ignorantes Dei juſtitiam, ſuamque volentes conſtituere juſtitiae Dei non ſunt ſubjecti (a); qui ſcilicet (b) legem ſuis viribus implere ſe poſſe arbitrantur, vel qui (c) gratiam Dei illis etiam voluntatibus ſubdunt quas ab ea non negant eſſe praeventas, ii Chriſtianam fidem ſibi omnino patiuntur adverſam, quae ad non peccandum, faciendamque juſtitiam quamvis eſſe non dubitet liberum arbitrium voluntatis; profitetur tamen ejuſdem liberi arbitrii poteſtatem non ſufficere, niſi adjuvetur infirmitas (d): & elati cordis praeſumptionem retundit ipſo Adae exemplo, qui licet in magna non peccandi facilitate conſtitutus (e), licet nulla pugna de ſe ipſo adverſum ſeipſum diviſus (f), quippe cui nihil concupiſcentialiter reſiſtebat (g), licet magnas & integerrimas arbitrii vires haberet (h); juſtitiam tamen amiſit, quam, cum crearetur, acceperat: ex quo nimirum datur intelligi, non ſolum quod homini poſt lapſum neceſſarium eſt divinum adjutorium; hoc quippe neceſſarium fuit etiam homini primo, cujus natura (i) non talis facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet in bono, quod acceperat, manere ſi vellet; ſed quod, cum per illius primi hominis peccatum liberum arbitrium rectitudinem amiſerit, ſitque viribus atenuatum, atque ad malum inclinatum (k), non tale nunc ei adjutorium ſufficit, quale datum eſt homini ſano, ſine quo non poſſet, ut autem vellet, in ejus relinqueretur arbitrio (l); ſed tale eſt omnino neceſſarium, quo det Deus quod jubet, efficiatque ut & poſſit, & velit (m): ut proinde in nullo ſit nobis gloriandum, quando noſtrum nihil eſt (n); ſed qui gloriatur in Domino glorietur (o), qui & praeparat voluntatem (p), & ipſum noſtrum bonum velle, ideſt voluntatem bonam, operatur in nobis (q), a quo etiam eſt omnis noſtra ſufficientia, cum id cogitamus, quod expedit nobis (r); quibus etiam orandi praeſtat affectum (s); cujus immo etiam donum eſt, ut ſciamus haec eadem, ceteraque omnia bona noſtra, ab initio fidei uſque ad finis conſummationem, nobis ab eo eſſe donata (t), ut non

(a) Rom. X. 3.

(b) Vid. S. Aug. L. de Grat. & Lib. arb. n. 24.

(c) Vid. Epiſt. S. Proſperi ad S. Auguſt., inter Auguſtinian. CCXXV. n. 5.

(d) Vid. Epiſt. CLXXVII. al. XCV. S. Aug. & aliorum IV. Epiſc. ad Innocentium I. n. 4.

(e) Vid. S. Aug. L. XIV. de C. D. c. 15. n. 1.

(f) Vid. S. Auguſt. L. de Corrept. & Grat. n. 29., & L. IV. Oper. imp. cap. 37.

(g) Vid. S. Aug. L. de Corr. & Grat. n. 37.

(h) Vid. S. Auguſt. Serm. CXXXII. al. II. de verbis Apoſt. n. 6., & L. VI. Op. imp. c. 8.

(i) Vid. S. Auguſt. L. de Corrept. & Grar. num. 32.

(k) Vid. Concilium Arauſic. II. poſt Canonem XXV., & Trident. Seſſ. VI. in Decreto de Juſtific. cap. 1.

(l) Vid. S. Aug. L. de Corr. & Grat. n. 32.

(m) Vid. S. Aug. ibid. n. 31., & 32.

(n) Vid. S. Cyprian. L. III. ad Quirinum apud S. Aug. L. IV. c. duas Epiſt. Pelag. n. 25.

(o) II. Cor. X. 17.

(p) Vid. Proverb. VIII. ſec. LXX. apud S. Auguſt. L. II. c. duas Epiſt. Pelag. n. 20.

(q) Vid. Philip. II. 13. & S. Auguſt. L. de Spir. & lit. n. 2., & L. I. c. duas Epiſt. Pelag. num. 37., & alibi.

(r) Vid. II. Cor. III. 5., & S. Proſp. Sent. XXII., & Concil. Arauſic. II. Can. 9.

(s) Vid. Orat. ſuper Populum in Miſſa Fer. II. infra hebd. IV. Quadrag., & Orat. Fer. IV. inf. hebd. Paſſionis. Vid. & S. Ambroſ. in Expoſit. Iſaiae apud S. Aug. L. IV. c. duas Epiſt. Pelag. n. 30., & L. de Don. Perſev. n. 64. Vid. & S. Aug. Epiſt. CXCIV. al. CV. ad Sixtum n. 16, 17., 18.

(t) Vid. Sap. VIII. 21, ac I. Cor. II. 12. Vid. & S. Aug. Tract. LXXXV. in Joan. n. 3. in fin.

non ſolum adjutor ſit, verum etiam largitor virtutis (*a*): quae quidem non habemus niſi per Jeſum Chriſtum (*b*), qni factus eſt nobis a Deo juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio (*c*); ut proinde ſine fide in ipſum ſicut nemini obtigit a peccatis, & ignis aeterni debita damnatione redemptio, ita nec ulli umquam obtigit vera juſtitia ſine eadem fide (*d*); quae idcirco dici nequit operibus retributa juſtitiae, ſed gratuita Dei bonitate donata per Chriſtum, in quo ſecundum miſericordiam ſuam magnam elegit nos ante mundi conſtitutionem, non quia futuri eramus, ſed ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus, creati in eodem Mediatore noſtro in operibus bonis, ut in illis ambulemus (*e*).

XI. Porro quam multi ſunt in ipſa profeſſione nominis Chriſtiani, qui ſe beatos exiſtimant, ſi (*f*) promptuaria eorum ſunt plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum factoſae abundantes in egreſſibus ſuis, boves eorum craſſae, nulla ruina maceriae, nullus tranſitus, neque clamor in domibus, & *poſſeſſionibus* eorum; & dicunt animae ſuae (*g*), Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare? Quam multi, qui (*h*) deſideria carnis perficiunt; & (*i*) hanc ducnnt partem ſuam eſſe & ſortem, ſi nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria eorum; illos autem habent in deriſum, & in ſimilitudinem improperii, eorumque vitam exiſtimant eſſe inſaniam (*k*), qui ſpiritu (*l*) facta carnis mortificant? Quam multi in corde ſuo ſtatuunt (*m*), Sit fortitudo noſtra, ſint divitiae noſtrae, ſit potentia noſtra, ſit aſtutia *noſtra*, ſit utilitas noſtra lex juſtitiae? Quam multi ſe ipſos amantes (*n*), ſibique ipſis placentes (*o*), & aliis placere quaerentes, non quidem in bonum ad aedificationem, quo ſenſu per omnia omnibns placebat Apoſtolus Paulus, qui quod multis utile eſſet, ut ſalvi fierent, quaerebat, non ſibi (*p*); ſed vel amore propriae excellentiae, ut laudentur & honorificentur ab hominibus, vel propriae ſtudio utilitatis, ut commoda temporalia reportent; vel nt plures ſibi adjungant, quo & dominari potentius, & nocere aliis ſecurius poſſint, & licentius quaelibet cordis ſui deſideria explere, prudentiores, ſicut Dominus ait (*q*), filiis lucis in generatione ſua, ſed ea prudentia, quam Apoſtolus vocat (*r*) prudentiam carnis; qua ſcilicet (*s*) haec appetuntur pro magnis bonis, quae non perſeverant cum homine, & ne haec amittantur timetur, quae quandoque amittenda ſunt? Quam multos inanis curioſitas earum rerum, quae inveniri non poſſunt, aut fruſtra etiam inveniuntur ſive in caelo, ſive in abyſſo, ſeparat a *Deo*; dum non vincit caritas, quae ad certa ſpiritalia non vanitate rerum, quae foris ſunt, ſed veritate, quae intus, homines invitat (*t*)? Quam multi rurſus, quos (*u*) ſcientia in-

(*a*) Vid. S. Auguſt. L. III. c. duas Epiſt. Pelagian. num. 13.
(*b*) Joan. I. 17.
(*c*) I. Cor. I. 30.
(*d*) Vid. Galat. II. 12. & S. Auguſt. L. de Nat. & Grat. n.3., L. de Pecc. Orig. n.28., & L. de Corrept. & Grat. n.11.
(*e*) Epheſ. I. 4., II. 10. Vid. & S. Auguſt. L. de Praedeſt. SS. n.35, 36.
(*f*) Pſal. CXLIII. 13., & ſeq.
(*g*) Lucae XII. 19.
(*h*) Galat. V. 16.
(*i*) Sapient. II. 8, 9.
(*k*) Sapient. V. 3, 4.
(*l*) Rom. VIII. 13.
(*m*) Vid. Sapient. II. 11.
(*n*) II. Tim. III. 2.
(*o*) II. Petri II. 10.
(*p*) Vid. Rom. XV. 2., & I. Cor. X. 33.
(*q*) Lucae XVI. 8.
(*r*) Rom. VIII. 7.
(*s*) Vid. S. Auguſt. in Expoſit. quarumdam propoſit. ex Epiſt. ad Rom. c.49.
(*t*) Vid. S. Auguſt. ibid. c.58.
(*u*) I. Cor. VIII. 1.

inflat, dum non eſt caritas, quae aedificet? Ex quibus alii non attendentes, quanta ſit Majeſtas ſemper eodem modo manentis naturae, quae Deus eſt, deſertis virtutibus, magnum aliquid ſe agere putant, ſi univerſam illam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curioſiſſime intenſiſſimeque perquirunt, ſic, ut in ipſo caelo, de quo ſaepe diſputant, ſibimet habitare videantur (*a*): alii, contra Scripturae divinae monitum (*b*), altiora ſe ſcrutari volunt, ad quae capienda non ſit homo idoneus, niſi per mandatorum obedientiam (*c*); nihilque de mundando corde ſolliciti, non valentes percipere, quae ſunt ſpiritus Dei (*d*), evaneſcunt in cogitationibus ſuis (*e*), de rebus incorporeis per imagines corporeas judicantes, & tale aliquid eſſe credentes, quale fallax corporis ſenſus infligit (*f*). Quam multi non attendunt, virtutes a vitiis non tam officiis, quam finibus diſcerni (*g*); vel quò quidquid homo veluti recte fecerit ſit referendum, ut rectum ſit (*h*), non conſiderant; nec conſcientiam ſuam diſcutiunt, utrum bonum quod agunt, agant amore juſtitiae, an ſolo timore impendentis mali, non acturi utique, ſi impune poſſent omittere (*i*), & ſic agentes, ut mallent non juberi (*k*); atque ita ſibi ipſis tamquam de vera juſtitia gloriantur, cum tamen mortui ſint in delictis & peccatis, ut olim de ſe ipſo confitebatur Apoſtolus (*l*), licet quae legis erant conſpicuo opere complens, in ipſa lege converſatum ſe dixerit (*m*) ſine querela (*n*)? Quam multi denique, qui ſectando legem juſtitiae, in legem juſtitiae non perveniunt (*o*); quia nimirum non ex fide, ſed quaſi ex operibus (*p*), dum ſcilicet ſuis ſe viribus, ſine adjutorio gratiae legem ſe putant implere (*q*)?

XII. Ecce quam multi Chriſto dicunt = Domine, Domine =, atque civitati ejus Sion viſibilium ſacramentorum communione ſociantur; & tamen cum propter triplicem concupiſcentiam, carnis, oculorum, & vitae (*r*) dilectores ſint mundi, pertinent ad Babylonem civitatem Diaboli, quam facit amor ſaeculi (*s*). Et miramur, ſi in dies ſuccreſcit numerus incredulorum: aut ſi Magiſtri incredulitatis ſparſis in vulgus lepidis narratiunculis, exoticis epiſtolis, curioſis de remotiſſimarum nationum origine, moribus, religione commentariolis, ſpeciminibus novorum ſyſtematum de natura, de mundo, de materia, de homine, de legibus, de bono reipublicae, aliiſque hujuſmodi opuſculis fucato quodam lepore conſperſis, in quibus certiſſima quaeque ac ſanctiſſima fidei chriſtianae dogmata vel mordaciter irridentur, vel ſuperſtitionis arguuntur, vel ad problematum claſſem reducuntur, tot ſibi adjungunt proſelytos, etſi omnes ejuſmodi illorum ſcri-

ptiun-

(*a*) Vid. S. Auguſt. L. de Moribus Eccleſiae Cath. num. 38.

(*b*) Eccli. III. 22.

(*c*) Vid. S. Auguſt. Enar. in Pſal. CXVIII. ſerm. XXII. n. 8. & Enar. in Pſal. CXXX. n. 13.

(*d*) I. Cor. II. 14.

(*e*) Rom. I. 21.

(*f*) Vid. S. Auguſt. cit. n. 38. L. de Morib. Eccleſ.

(*g*) Vid. S. Auguſt. L. XXII. c. Fauſtum, c. 43. & L. IV. c. Julianum n. 21.

(*h*) Vid. S. Auguſt. L. de Fide & Operibus num. 11.

(*i*) Vid. S. Auguſt. L. XII. de C. D. c. 10.

(*k*) Vid. S. Auguſt. Enar. in Pſal. LXVIII. ſerm. XI. n. 1.

(*l*) Epheſ. II. 3.

(*m*) Philip. III. 6.

(*n*) Vid. S. Aug. L. I. c. duas epiſt. Pelag. n. 15.

(*o*) Rom. IX. 30.

(*p*) Ibid. ver. 31.

(*q*) Vid. S. Auguſt. L. de Grat. & Lib. arb. n. 24., & Serm. CLXIX. al. XXVI. de Diverſis, num. 9.

(*r*) I. Joan. II. 16. Vid. & S. Auguſt. L. de Vera Relig. n. 70., & Enar. in Pſal. VIII. num. 13.

(*s*) Vid. S. Aug. Enar. in Pſal. LXIV. n. 2.

ptiunculae merito vitreae dici debeant; quaſi enim lucent vanitate, ſed franguntur veritate? Non eſt plane quod miremur. In illorum enim, quos tam multos commemoravimus, cordibus fides radices non egerat per caritatem; obduruerant quippe, tamquam petra, igne vel ſuperbiae, vel cupiditatis: ſupervenit tentatio ab incredulorum ſive ſcriptis, ſive ſermonibus: factum eſt, quod Chriſtus Jeſus praedixerat (*a*), a fide receſſerunt. Nimirum in incredulitatem itur ex cordis corruptione.

XIII. Quo loco incredulos ex depravatis moribus hominum Chriſtianae profeſſionis ipſam Chriſtianam fidem criminari ſolitos, atque ex progreſſibus incredulitatis triumphum agentes, monemus, ut hinc imo quam turpe ſit Chriſtianam Religionem deſerere, & incredulum fieri, ſi caeci penitus non ſint, tandem aliquando agnoſcant. Etenim ſi cum depravati ſunt Chriſtianorum mores, eorum plures eò adducuntur, ut Chriſtianam fidem a ſe abjiciant, & ad partes deficiant incredulorum; quid manifeſtius, quam eos a fide, cujus profeſſioni diſſimilis erat ipſorum vita, ideo receſſiſſe, ut abjecto Religionis freno, excuſſiſque, ſi fieri poſſet, conſcientiae terroribus, cupiditatibus ſuis tanto ſuavius, quanto liberius indulgerent? Quod cum fieri nequeat, niſi incredulitas aut defendat ne vitia ſint illa eadem, quae in Chriſtianis tanquam vitia condemnat, aut nullo, ne iis indulgeant, freno coerceantur incredulitatem profeſſi; videant, num coetus honeſtorum proborumque hominum ſit coetus incredulorum: num felix poſſet eſſe Reſpublica ex ſolis incredulis conſtans: num ad bonam, & beatam vitam incredulitas prodeſſe quidquam poſſit.

XIV. Quid, quod ex depravatis moribus Chriſtianorum, quos tantopere increduli exaggerant, atque ex magnis, quos incredulitas in dies accipit, progreſſibus, validiſſimum imo exurgit ad veritatem Chriſtianae Religionis ſuadendam argumentum? In ſacris enim Chriſtianorum libris plurimos futuros in Eccleſia malos, qui huic ſaeculo verbis in Baptiſmo renuntiarent, non factis, quique Deum agnoſcentes non ſicut Deum glorificarent, apertiſſime praenunciatum eſt, ubi Eccleſia eadem aſſimilatur (*b*) Sagenae miſſae in mare, & ex omni genere piſcium tum bonorum, ubi ventum fuerit ad littus eligendorum in vaſa, tum malorum in eadem ſaeculi conſummatione foras mittendorum congreganti, & interim intra retia ſacramentorum ſuorum retinenti; ubi item comparatur (c) areae, in qua, uſque ad ventilationem, triticum congregandum in horreum permixtum eſt paleis igne inextinguibili comburendis (*d*). In iiſdem praeterea literis praenunciata eſt multorum incredulitas; &, quod caput eſt, eventura eadem praenunciatur ex corruptione animae per illicita deſideria defluentis. Nam & ipſe Magiſter ac Salvator noſter Chriſtus Jeſus (*e*) de iis in quorum cordibus verbum fidei radices haud egerit, expreſſe aſſeruit, ut paulo antea memoravimus (*f*), quod ii ad tempus credunt, ſed in tempore tentationis recedent: & Apoſtolus Paulus multos itidem praedicens futuros = corruptos mente, reprobos circa fidem (*g*) =, quibus ad incredulitatem gradibus perventuri ſint praemiſit, inquiens

(*a*) Lucae VIII. 13.
(*b*) Matth. XIII. 47., & ſeq.
(*c*) Matth. III. 12. Lucae III. 17.
(*d*) Vid. S. Auguſt. L. III. c. Lit. Petiliani n.4., & L. ad Donatiſtas poſt collat.n.13.
(*e*) Lucae VIII. 13.
(*f*) Sup. §. XII. in fine.
(*g*) II. Tim. III. 8.

quiens (*a*) = Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes ..... ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes = ; quos quidem in externa Eccleſiae communione futuros deſignat, ſicut Jannes, & Mambre, qui reſtiterunt Moyſi (*b*), erant in viſibili communione populi Dei; & tamen ad myſticam Babylonem pertinere oſtendit, quam facit amor ſui (*c*), dum praemiſit, quod erunt ſe ipſos amantes, atque inde totam vitiorum, quibus arctiſſime devincientur catenam contexuit. Cum ergo his atque hujuſmodi aliis noſtrarum Scripturarum teſtimoniis antea praedictam multorum incredulitatem, & nunc impletam conſpiciant; quid invenient fide dignius, quam eaſdem noſtras Scripturas? Nulli enim prudentius credimus vel de praeteritis, quae olim facta ſunt, vel de futuris, quae nondum facta ſunt, quam eis, qui fidem verborum ſuorum per ea probant, quae tanto antea ab ipſis praedicta, jam nunc videmus impleta (*d*).

XV. At enim inquient fortaſſe increduli, Haec argumentandi ratio nedum repugnat principiis Chriſtianae legis prohibenris, nequis judicet ſive eos, qui foris ſunt (*e*), ſive qui ſunt intus in ipſa Eccleſia (*f*); ſed & indigna eſt honeſto homine: eò ſi quidem tota recidit, ut quotquot Philoſophiſmum profitentur, quamquam aliàs penitus ignoti, judicentur eſſe moribus turpiſſimis ex hoc ſolum, quod Chriſtianam fidem deſeruerint, quam exiſtimant meram eſſe ſuperſtitionem partim ignorantia populi, partim avaritia Miniſtrorum, partim dominandi libidine inductam.

XVI. Grandis querela, & plane timenda, ſi veritati inniteretur! Porro juſta eſſet, ſi nos, qui eis talia objicimus, reprehendere poſſent increduli vel de temerario & iniquo judicio, vel de perverſo conviciandi atque inſultandi animo. Utrumque ſcilicet & naturali honeſtate, & divina lege improbatur (*g*). At neutrum poſſunt jure nobis opponere, ſi ſerio velint diſcutere & quid, & quem in finem dicamus. Quid enimvero aſſerimus, niſi quod iidem ipſi dicunt, quod recta ratio perſuadet, quod denique ex eorum ſcriptis, fidiſſimis ſcilicet eorum animi interpretibus, aperte didicimus? Nonne mala, quae nos in medio populi Dei fieri videntes cum Propheta (*h*) gemimus, ipſi frequenter exaggerant, ut in Chriſtianam Religionem velut juſte evomant probra, eamque contemptibilem reddant? Nonne ex quo plures Chriſtianorum ad ſuas partes pertraxerint, quod nos veriſſimum eſſe agnoſcimus, ſimul dolentes jacturam fratrum noſtrorum, & divina venerantes ac trementes judicia, laetantur ipſi, ac veluti triumphum agunt? Quid igitur nobis ſuccenſent, ſi in tanto matris Eccleſiae luctu, in tanto infirmiorum fratrum noſtrorum periculo, Patrum exemplo conſolationem in Scripturis, quas tanquam divinas veneramur, quaerentes (*i*), atque in iis interim invenientes & quo opprobria Matri Eccleſiae illata abſtergantur,

 & quo

(*a*) Ibidem verſ. 2., & ſeq.
(*b*) Ibidem cit. verſ 8.
(*c*) Vid. S.Aug. L.XIV. de C.D. c. 28.
(*d*) Vid. S. Aug. L.XIII. c.Fauſtum c. 14.
(*e*) Vid. I. Cor. V. 13.
(*f*) Vid.cit.I. Cor.IV. 5, & Jacobi IV. 13.
(*g*) Vid. S. Auguſt. L. II. de Serm. Domini in monte. n.59, 60, 63, 64.
(*h*) Ezech. IX. 4.
(*i*) Vid.L.I.Machab.XII.9.,& Rom.XV. 4.

& quo hoſtium ſuorum retundatur jactantia, & quo filiorum ejus conſulatur ſaluti, & quo etiam ſeducentium, ac ſeductorum oculi aperiantur, ut videant vias ſuas, atque intelligant quam malum & amarum ipſis eſt dereliquiſſe Dominum fontem aquae vivae, & fodiſſe ſibi ciſternas diſſipatas, quae non valeant continere aquam (*a*), urgemus in argumentum Chriſtianae Religionis, tanto ante in Scripturis noſtris utrumque fuiſſe praedictum, quod ii nobiſcum jam vident impletum; multos ſcilicet futuros in Eccleſia malos, eorumque non paucos receſſuros a fide: ut Scripturas ipſas, quas ab eventu fateri coguntur in futurorum praedictione veraces, agnoſcant etiam in cauſſarum manifeſtatione veridicas? Cum praeſertim recta ratio doceat, eos potius Chriſtianam fidem deſeruiſſe, quibus illa placere non poterat, quam quibus placebat: tales porro eſſe, qui in profeſſione nominis Chriſtiani non habebant ſpiritum Chriſti, ſed ſpiritum mundi concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitae (*b*) aeſtuantem atque tumentem, res eſt manifeſta ex comparatione Chriſtianorum dogmatum & praeceptorum cum mundano ſpiritu; ut eſt a nobis in antecedentibus praeſtitum (*c*).

XVII. Ex tot revera, quos ad ſe traxerunt increduli, vel unum producant, qui in Chriſtiana Religione Catholicae Eccleſiae magiſterio inſtructus non ſolum in fide, ſed &, Deo donante ſpiritum fidei, ex fide vixerit: qui nimirum contractam ex peccato primi hominis in omnes carnali generatione transfuſo ſauciatae naturae infirmitatem ſalubriter agnoſcens, & aſſidue perpendens, oculos jugiter habeat ad Dominum (*c*) refugium ſuum, adjutorium ſuum, virtutem ſuam (*d*); ut lumen inde accipiat quo illuminentur tenebrae ſuae, & ſuavitatem qua fructum det terra ſua (*e*); quo & ſciat quid oret ſicut oportet (*f*), & oſtendatur ſibi via bona, per quam ambulet (*g*), atque inſpirata ſibi per Spiritum Sanctum flagrantiſſima caritate, id quod agendum eſſe cognoverit tanta voluntate velit, tantoque ardore diligat, ut voluntatem carnis contraria concupiſcentem ardore ſpiritus vincat (*h*): ac ne forte veniat ſibi pes ſuperbiae ad ſe ipſum retrahat obtutum, ut meminerit de ſuo non habere niſi mendacium, & peccatum (*i*), & proinde victoriam Deo, a quo ſibi data eſt per Jeſum Chriſtum (*k*), cum gratiarum actione acceptam referat, & cantet Domino, quoniam ſecum fecit ſecundum abundantiam miſericordiae ſuae (*l*): qui itidem memor, tentationem eſſe vitam hominis ſuper terram (*m*), & hoc ipſum homini expedire ne pernicioſius extollatur (*n*), utque illa ſecuritas, ubi pax pleniſſima atque certiſſima eſt, deſiderio ferventiore quaeratur (*o*), paciſcatur foedus cum oculis ſuis, ne videant vanitatem (*p*), ſepiat aures ſuas ſpinis, ne excipiat colloquia prava, quae corrumpunt bonos mores (*q*), fugiat otioſitatem, quae multam docet malitiam (*r*), non ſedeat cum concilio vanitatis, nec introeat cum iniqua gerentibus

(*a*) Vid. Jerem. II. 13. 19.
(*b*) I. Joan. II. 16.
(*c*) Vid. ſup. §. XI.
(*d*) Vid. Pſal. CXXII. 2.
(*e*) Vid. Pſal. XLV. 1.
(*f*) Vid. S. Auguſt. L. II. de Peccat. meritis num. 32.
(*g*) Rom. VIII. 26.
(*h*) Vid. III. Regum VIII. 36.
(*i*) Vid. S. Aug. L. de Corrept. & Grat. n. 31.
(*k*) Concil. Arauſic. II. c. 22.
(*l*) I. Cor. XV. 57.
(*m*) Tobiae XII. 6.
(*k*) Tob. VII. 1.
(*n*) Vid. II. Cor XII. 7, 9., & S. Aug. L. III. c. duas Epiſt. Pelag. n. 18.
(*o*) Vid. S. Auguſt. L. XIX. de C. D., c. 10.
(*p*) Job. XXXI. 1., & Pſal. CXVIII. 37.
(*q*) Vid. Eccli. XXVIII. 28. & I. Cor. XV. 33.
(*r*) Eccli. XXXIII. 29.

bus (*a*), atque ne ſcandalis ſeducatur eo periculoſioribus, quo ſub nomine publici uſus, receptaeque conſuetudinis palliantur, ad legem magis & teſtimonium attendat (*b*), meditans in lege Domini die ac nocte (*c*); & nihilominus ſciens, quia niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam (*d*), vigilantiae juxta Chriſti praeceptum (*e*) adjungat orationem, proſternatque preces ſuas coram Domino, non quidem in juſtificationibus ſuis, ſed in miſerationibus ejus multis (*f*), ut reſpiciens in faciem Chriſti ſui (*g*), & exaudiens vocem ſanguinis melius clamantem quam Abel (*h*), non eum inferat in tentationem (*i*), ſed liberet a malo (*k*), faciatque etiam cum tentatione proventum (*l*), ut licet infirmus teneat perſeverantem in ejus famulatu voluntatem (*m*), nulliſque ab eo illecebris, nullis terroribus, nullis adverſitatibus ſeparetur, ſed uſque in finem ipſi Deo ſuo adhaerere inviĉtiſſime velit, ipſumque deſerere inviĉtiſſime nolit (*n*): qui attendens ſe de damnata venire propagine, ac fuiſſe natura filium irae ſicut & ceteri (*o*), ſaepe recogitet & quam magno pretio fuerit emptus (*p*), pretioſo ſcilicet ſanguine, quaſi agni immaculati, Chriſti (*q*), & de quanta damnatione fuerit liberatus, dum ſibi in Baptiſmo applicatum eſt illud pretium (*r*), innumeris aliis, quorum nomina, Deo (*s*) eorum non miſerante, ſcripta non ſunt (*t*) in libro vitae, euntibus ex uno in illam condemnationem utique juſtiſſimam (*u*), grato animi ſenſu afficiatur, ſtudeatque impleri agnitione voluntatis Dei in omni ſapientia, & intelleĉtu ſpiritali, ut ambulet digne Deo per omnia placens, in omni opere bono fruĉtificans, & creſcens in ſcientia Dei; gratias ei agens, qui dignum eum fecit in partem ſortis Sanĉtorum in lumine, eripuitque de poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit in regnum filii dileĉtionis ſuae, in quo habet redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum (*x*). Talem ejuſmodi unum proferant increduli, qui ad eorum partes tranſierit; & non ultra adverſus eos urgebimus foedam incredulitatis originem.

XVIII. Fidenter quidem loquimur, & incredulos provocamus; non quod ignoremus, quod ſicut donum Dei gratuito miſerentis eſt fides, ita ejuſdem gratuito pariter miſerentis donum eſt perſeverentia in fide (*y*). Confitemur imo, quod ſicut Deus eſt, qui in nobis incipit quodcumque opus bonum (*z*), in quo genere eſt etiam fides (*aa*), appellata propterea opus Dei (*bb*); ita Deus eſt qui fidem ipſam, & opus quodcumque bonum perficit uſque in diem Chriſti Jeſu (*cc*): non ſolum enim in nobis operatur velle, ſed etiam perficere pro bona voluntate (*dd*): & ideo neceſſe eſſe agnoſcimus (*ee*), ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non

adju-

(*a*) Pſal. XXV. 4. (*b*) Iſaiae VIII. 20.
(*c*) Pſal. I. 2. (*d*) Pſal. CXXVI. 1.
(*e*) Matth. XXVI. 41. (*f*) Daniel. IX. 18.
(*g*) Pſal. LXXXIII. 10.
(*h*) Hebr. XII. 24. (*i*) Matth. VI. 13.
(*k*) Ibidem. (*l*) I. Cor. X. 13.
(*m*) Vid. Orat. poſt Comm. Feriae III. inf. hebdom. Paſſionis.
(*n*) Vid. S. Aug. L. de Correp. & Grat. n. 38.
(*o*) Vid. Epheſ. I. 3. (*p*) I. Cor. VI. 10.
(*q*) I. Petri I. 18, 19.
(*r*) Vid. S. Aug. L. de Nat. & Grat. n. 5.
(*s*) Vid. Rom. IX. 11, 12, 13, 15.; vid. & S. Auguſt. L. de Praedeſt. SS. n. 19, & 34, & de Don. Perſev. n. 13. 35. (*t*) Apoc. XX. 15.
(*u*) Rom. V. 16, 18., vid. & S. Aug. L. II. de Nuptiis, & Concup. n. 8.
(*x*) Coloſ. I. 9, 10, 12, 13, 14.
(*y*) Vid. S. Aug. L. de Corrept. & Grat. n. 10., & L. de Don. Perſev. n. 13, 42, 54.
(*z*) Philip. I. 6. (*aa*) Philip. I. 29.
(*bb*) Joan. VI. 29. vid. S. Aug. L. de Praedeſt. SS. n. 12. (*cc*) Cit. loc. Philip. I. 6.
(*dd*) Philip. II. 13.
(*ee*) Vid. Epiſt. Innoc. I. ad Patr. Concil. Carthag. inter Auguſt. CLXXXI. al. XCI. n. 7.

adjuvante vincamur; cum (*a*) pares nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium. At pariter ſcimus, Dominum non avertiſſe faciem ſuam vel a Davide, vel a Petro, qua averſa facti ſunt conturbati in tantum, ut ille in adulterii primum, dein in homicidii crimen laberetur; alter vero Chriſtum mori pro illo metuens ter negaret, niſi poſtquam in abundantia, quam utrique praeſtiterat Deus, non de illo qui eam praeſtiterat, ſed de ſeipſis praeſumentes dixerunt, ille quidem = Non movebor in aeternum =; hic autem = Animam meam pro te ponam =; ſibi feſtinando tribuentes, quod debuerant a Domino deprecari (*b*). Atque ut ad rem propius adhuc accedamus, ſcimus incredulitatem Judaeorum, qua excaecati non poterant credere in Chriſtum (*c*), & cujus merito licet naturales eſſent rami olivae, quam plantaverat Dominus, nihilominus fracti ſunt & praeciſi (*d*), nullam aliam fuiſſe quam quod ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiae Dei non erant ſubjecti (*e*). Quin nec ipſi gentium Philoſophi traditi ſunt a Deo in deſideria cordis eorum, & in paſſiones ignominiae, & in reprobum ſenſum; niſi poſtquam Deum, quem per ea, quae facta ſunt, cognoverant, non ſicut Deum glorificaverunt (*f*): neque ſtulti facti ſunt, & obſcuratum adeo inſipiens cor eorum, ut immutarent gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium; niſi poſtquam averterunt ſe a lumine ſapientiae, eandem ſibi ipſis per ſuperbiam tribuentes, cum pro ipſa gratias ei agere debuiſſent, qui dederat (*g*). Scilicet radix omnium malorum eſt cupiditas (*h*): & licet non omnes, ſed quidam tantum, ex iis, qui eam appetiverunt, erraverint a fide (*i*); nemo tamen a fide diſcedit, niſi qui cupiditates appetit; inter quas praecipue eſt ſuperbia, qua quis appetit aliquid amplius quam oportet propter excellentiam ſuam & quemdam propriae rei amorem: unde merito initium omnis peccati ſuperbia definita eſt (*k*), ex qua quaelibet alia cupiditas oritur, & ad illam refertur; quae proinde ſi procul abigatur, ejuſque loco humilitas firmetur in corde, velut in illo, quem mox deſcripſimus ex ſpiritu fidei viventem, periculum labendi in incredulitatem ſummotum eſt; contritionem enim praecedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur cor (*l*); & Deus, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam (*m*).

XIX. Quamquam nec opus habemus ad has incitas redigere incredulos. Longe minus eſt quod poſtulamus. Oſtendant ex tot millibus ſuorum proſelytorum vel unum, qui in fide Chriſtiana ſic vixerit, ut quamvis illicitis non ſemel cupiditatibus indulſerit; attamen nec ſua vulnera ſibi ipſi diſſimulaverit, aut ea quaſi levia contempſerit; nec laetatus fuerit cum inique geſſit, nec exultaverit

(*a*) Vid. cit. Epiſt. Innoc. I. n. 5.

(*b*) Confer. cum Pſal. XXXIX. 7. Caput XI. Lib. II. Regum; & Lucae XXII. 33, 57, 58, 59, 60, 61. & vid. S. Aug. L. de Corrept. & Grat. n. 24.

(*c*) Vid. Joan. XII. 39, 40.

(*d*) Vid. Rom. XI. 26.

(*e*) Vid. Rom. IX. 31, 32., X. 3., & S. Aug. Tract. LIII. in Joan. n 9. 10.

(*f*) Vid. Rom. I. 20, 21, 24. &c.

(*g*) Vid. Rom. I. 21, 22., & S. Auguſt. L. III. de Lib. arb. n. 72., & in Expoſit. quarumdam Propoſit. ex Epiſt. ad Rom. c. 4., & Serm. LXVII al. VIII. de verbis Domin. n. 8., & Serm. CC. al. in VI. Tomo, n. 9; & L. de Nat. & Grat. n 24.

(*h*) I. Tim. VI. 10.

(*i*) Ibid.

(*k*) Eccli. X. 15. Vid. S. Aug. L. XI. de Geneſi ad lit. n. 19., & L. XIV. de C. D. cap. 13. n. 1.

(*l*) Proverb. XVI. 18.

(*m*) Jacob. IV. 6.

rit in rebus peſſimis; neque ſive de venia, ſi ve de ſua correctione deſperans tradiderit ſe iniquitati: ſed potius violentia tentationis abſtractus & illectus ex infirmitate ſit lapſus; curam autem omnem ſalutis ſuae, atque in Deum ſpem non abjecerit; quin potius ad ipſum ingemiſcere conſueverit, ut ejus miſericordia ſanetur ac eruatur de neceſſitatibus ſuis: & licet ſaepe in lucta ſuccumbat victus; non tamen omiſerit adverſus cupiditates ſuas pugnare, poenitentiae remedium aſſumere, offerre Deo ſacrificium ſpiritum ſuum contribulatum, & cor ſuum contritum & humiliatum. Adeo proboſa eſt incredulitatis origo, & lutulenta via per quam ad ipſam itur! In eam inſtructi in Chriſtiana fide non prolabuntur, niſi qui in ſordibus ſuis ſordeſcunt, & in coeno vitiorum penitus infiguntur.

XX. Haec autem non animo conviciandi exprobamus incredulis; ſed ut eos retorqueamus ad ſe ipſos, eoſdem auferendo a dorſo ſuo, ubi ſe poſuerunt nolentes ſe attendere, & conſtituendo ipſos ante faciem ſuam, ut videant quam turpes ſint, quam diſtorti & ſordidi & maculoſi & ulceroſi, & videntes horreant ſe ipſos, ſi forte Deus, qui(*a*)potens eſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahae, ipſos jam ſibi diſplicentes faciat diſplicere ſalubriter; ac fide iterum donata mundet corda eorum(*b*), dirigatque greſſus eorum in ſemitis ſuis, ut in ſanctitate & juſtitia ambulent coram ipſo reliquis omnibus diebus vitae ſuae, dignos poenitentiae fructus faciendo. Ac praeterea hoc argumenti genus eo libentius verſamus, atque ut paſſim uſurpetur optamus ardentius, quod non immerito exiſtimemus, ad confirmandos adverſus incredulorum ſeductionem animos juvenum, atque infirmorum in fide, nihil utilius afferri poſſe ab iis, qui in vinea Domini plantant aut rigant; quam ſi ex divinarum Scripturarum oraculis aperte ipſis demonſtretur, incredulitatis fontem eſſe cordis depravationem: quo ſcilicet attendentes, quam plena ignominiae ſit origo incredulitatis, retrahantur, ne incredulorum coetui ſe adjungant; ac ſalubriter timentes, ne Deus ſubtrahat ipſis donum fidei, quod hactenus abſconderunt in terram, detque illud aliis facientibus fructum ejus (*c*), reſipiſcant a viis ſuis peſſimis, & liberati a peccato, ac ſervi facti juſtitiae fructificent in omni opere bono, habentes (*d*) myſterium fidei in conſcientia pura.

XXI. Dignoſcere jam hinc poterunt increduli, utri violemus naturalem honeſtatem: an nos, qui non quidem ſimpliciter aſſerimus, ſed invicte oſtendimus, originem incredulitatis; eoque animo, ut Fratres noſtros, quos novi iſti Philoſophiſmi Profeſſores ad fidem abjiciendam conantur inducere, in fide confirmemus; utque eos, qui olim nobiſcum erant fidei ſocietate conjuncti, & quos periiſſe dolemus, ad priſtinam fidei communionem revocemus; noſtra, quae adhuc retinemus, tuentes; & quae rapta ſunt repetentes: an potius naturalis aequitatis, & honeſtatis leges violent ipſi increduli; aequitatis quidem, dum noſtra tot ſaeculorum poſſeſſione, antequam ipſi prodirent, firmata invadere conati ſunt (*e*); honeſtatis autem, dum nos inſcitiae inſimulant, ſuperſtitionis arguunt, libidinis dominandi accuſant, ac tamquam humani generis hoſtes traducunt; noſtra autem dogmata cachinnis excipiunt, ſalibus jociſque irrident, confictis hypotheſibus dubia reddere nituntur: quamvis ne unum quidem corumdem dogma-

(*a*) Matth. III. 9. (*b*) Vid. Act. XV. 9. (*c*) Matth. XXI. 43. (*d*) I. Timoth. III. 9. (*e*) Vid. Tertullian. L. de Praeſcrip. c. 3.

dogmatum noſtrorum labefactare potuerint; nihilque adverſus Scripturas noſtras, nihil adverſus religionis hiſtoriam, nihil adverſus fidei articulos, nihil adverſus morum praecepta, nihil adverſus motiva credibilitatis protulerint, quod non olim ab antiquis Chriſtianae profeſſionis hoſtibus productum fuerit, & ab Apologiſtis noſtris, ſanctiſque Doctoribus penitus obtritum.

XXII. Hic vero non eſt diſſimulanda graviſſima, ut quidem videtur, objectio, quae ultro ſeſe ingerit meditantibus quod de origine incredulitatis huc uſque firmavimus. Nimirum humani cordis corruptio tam antiqua eſt, quam genus humanum; adeo ut diluvium immiſſum fuiſſe dicatur, quia cuncta hominis cogitatio intenta eſſet ad malum, atque omnis caro corrupiſſet viam ſuam (*a*): ipſam etiam Chriſtianam Religionem a primis uſque temporibus plurimos omni aetate habuiſſe homines corde corruptos; adeo ut etiam ea vigente dici potuerit, quod nihilominus maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt (*b*), exploratiſſima res eſt ex ſcriptis Apoſtolorum, ex Conciliorum Canonibus, ex Scriptoribus Eccleſiaſticis cujuslibet ſaeculi (*c*). Cur itaque non omni aetate extiterunt magno numero increduli? cur ſolum poſtremis temporibus vires accepit incredulitas, & late coepit dominari? Nonne hinc evidens fit, originem incredulitatis non utique corruptioni cordis eſſe tribuendam, ſed alteri prorſus cauſſae, cujus initia ſint cum origine incredulitatis conjuncta? Porro quae iſta cauſſa ſit, non eſt difficile invenire: eam ſcilicet eſſe progreſſum, & incrementum ſcientiarum. Ex quo enim ars critica coepit excoli diligentius, ex quo illuſtrata eſt Metaphyſica, & accuratior ratiocinandi methodus invaluit; ex quo ſcientia naturae innumeris propemodum obſervationibus illuſtrata eſt, & proprietates materiae clarius innotuerunt, coepit incredulitas maxima habere incrementa. Progreſſui ergo ſcientiarum debetur ejus origo. Unde & illud ſequitur, Chriſtianam Religionem nonniſi ignorantiae hominum, & praeconceptis eorumdem praejudiciis ſuos debere progreſſus, ut paſſim exprobant increduli.

XXIII. Verum quiſquis nolit eſſe contentioſus, facile intelliget, magnos incredulitatis aetate noſtra progreſſus, non progreſſui ſcientiarum, ſed corruptioni cordis abutenti ſcientiis, adſcribi oportere. Non, inquam, progreſſui ſcientiarum. Quid enimvero ſibi a ſcientiis metuat Chriſtiana fides, quae Dionyſios, Juſtinos, Clementes, Tertullianos, Cyprianos, Auguſtinos ſibi ſubjecit: quae numquam illuſtrior apparuit, quam cum inter filios ſuos nacta eſt Origenes, Athanaſios, Gregorios, Baſilios, Chryſoſtomos, Cyrillos, Hilarios, Ambroſios, Hieronymos, Proſperos, Fulgentios, Leones: quae inter multiplices, quas paſſa eſt perſecutiones, illam graviſſimam reputavit, & vehementius ingemuit, cum ſub Juliano Apoſtata quicumque Chriſtiana profeſſione cenſebantur, liberalium artium, & ſcientiarum ſtudiis lata lege prohibiti fuere: quae jure meritoque gloriatur, per filios ſuos ſervata fuiſſe vetera monumenta, atque in ipſa ſaeculorum barbarie praeſtantiorum quarumlibet utiliorumque diſciplinarum cuſtodita elementa, ac veluti ſemina: quae denique poſt reſtitutum ſcientiis ipſis ſplendorem a viris ingenio, ac doctrina maximis vel defenſa, vel illuſtrata eſt? Quos proferent increduli ex ſuis, qui cum magnis iſtis Chriſtianae profeſſionis viris poſſint comparari? Aut quid ad incrementa ſplendoremque ſcientiarum contu-

(*a*) Vid. Geneſ. VI. 5.
(*b*) Oſee V. 2.
(*c*) Vid. etiam ſup. §. XIV.

contulerunt hactenus celebriores incredulitatis magiſtri? Quid potius non praeſtiterunt, ut nobiliores quaeque ſcientiae ſordeſcerent iterum, vel neglectae jacerent: dum ſcilicet eorum alii ſcriptis ſuis incautos juvenum animos ad voluptates illiciunt, quibus nulla gravior peſtis humanis ingeniis poteſt ingruere, ut diſſoluta emarceſcant: alii inanibus nugis, ac ridiculis jocis, quibus ſua explent opuſcula, omnem ad graviorum diſciplinarum ſtudia ſenſum hebetant & obtundunt: alii denique id unum ſibi propoſuiſſe videntur, ut univerſalem inducant Pirrhoniſmum; adeo omnia ſophiſmatibus ſuis ſuſdeque miſcent, adeo quibuslibet naturae, ac juris principiis tenebras offundunt; & quae omnibus notiſſima ſunt & certiſſima vel dubitationibus undequaque congeſtis involvunt, vel falſa eſſe ſuadere nituntur.

XXIV. Abuſus utique ſcientiarum ex corruptione cordis profectus plures impulit in incredulitatem. Nimirum ſcientia inflat, ſi non eſt caritas, quae aedificet (*a*). Cujus veritatis tot habent experimenta increduli, quot inter Ethnicos Philoſophiae laude claruiſſe memorantur; quippe quibus commune fuit vitium ſuperba de ſe ipſis opinio, & vana gloriatio, & temeraria praeſumptio. Vani itaque homines, atque in ſuis cogitationibus evaneſcentes eadem regula metiri auſi ſunt opiniones hominum & dogmata Religionis, naturales rerum proprietates & incomprehenſibilem Deum: ut quomodo in indagine effectuum cauſſarumque naturalium humana ratio ſupremo velut arbitrio pronunciat quid ſubjecto conveniat quid repugnet, prout in clara diſtinctaque, quam de eo habet vel habere putat, notione viderit elucere; ſic & eorum, quae divina ſunt, judicem ſe conſtituat; atque in eos libros, qui quoquo modo ſe habeant, ſancti tamen, divinarumque rerum pleni prope totius generis humani conſenſione diffamantur, caeco impetu irruens, ubi in eis aliqua ſibi occurrerint, quae videantur abſurda, in eoſdem ſententiam pronunciet, & Religionem ſanctiſſimam, cujus opinio totum fere terrarum orbem occupavit, pro ſuo arbitrio judicioque condemnet; cum ſuam potius tarditatem, & putrefactum tabe hujus mundi animum accuſare debuiſſet; & in illorum ſcriptis, qui magna ſapientiae & pietatis laude in Eccleſia claruerunt, humili docilique animo intelligentiam quaerere, eamque a Domino, a quo eſt ſpiritus intelligentiae, deprecari; tenens interim ſe ad ea, quae Catholica docet Eccleſia, cui doctrinae depoſitum, & Scripturarum interpretationem Dominum commiſiſſe non obſcure, ſed apertiſſime eaedem Scripturae teſtantur (*b*).

XXV. Si cui autem dubium adhuc videatur, an reipſa ex humanae temeritate rationis, ac proinde ex abuſu ſcientiarum a cordis corruptione profecto repetenda ſit incredulitas; an potius fructus ea ſit diuturnarum meditationum mentis ad veritatem nitidiſſime contemplandam clariſſima ſcientiarum luce illuſtratae; is attendat ad miram illam ſententiarum, quas increduli ferunt, diſcrepantiam de exiſtentia, & providentia Dei, de ultimo hominis fine, de animae natura, & immortalitate, de virtutibus, ac vitiis, ac illarum ab itis differentia, de ſociali hominum vita, de materiae natura, & proprietatibus, de cultu Dei, de Religione &c., de rebus ſcilicet ipſorum etiam incredulorum conſenſu graviſſimis, de quibus illos inter & nos tota verſatur diſputatio. Manifeſtum quippe eſt eorum alios errare: cum fieri nequeat, ut ſit, & non ſit Deus ejuſque providentia; perſeveret anima poſt mortem, & pereat cum corpore; homo ſit natura ſua ſocia

(*a*) I. Cor. VIII. 1.

(*b*) Vid. S. Auguſt. L. de Utilitate credendi n. 17.

Digitized by Google

ſocialis, & non ſocialis; virtus a vitio intrinſecum habeat, & non habeat diſcrimen &c. Turpiſſimum autem eſt & periculoſiſſimum circa res tantas ac tales errare & decipi. Quod ſi non vident increduli, plane quid ii videant ignoramus.

XXVI. Cur igitur, inquiebant, ante incrementum, ac veluti inſtaurationem ſcientiarum vix aliqui inveniebantur increduli; nunc vero tanta eis accrevit hominum multitudo; cum tamen omni aetate plures fuerint corde corrupto? Sed mirari profecto deſinent, ſi attendant, quaſdam ut plurimum requiri conditiones, ut cauſſa effectum ſibi proprium producat. Sic itaque & corruptio cordis, ut fidei jugum excutiat, proferatque peſſimum incredulitatis fructum, peculiari quadam indiget mentis diſpoſitione: ut videlicet paulatim mens aſſueverit ea, quae nova ſunt, admirari, antiqua contemnere, ratiociniis ſuis plurimum fidere, auctoritati majorum nihil parumve deferre, hypotheſibus delectari chimericis ſed quadam veriſimilitudine fallentibus, certiſſima quaeque objectis dubitationibus efficere incerta, ad rationis trutinam omnia exigere; eaque ſola habere pro certis, quae clara & plane ſenſibili notione concipiantur. Sic Judaei antequam offenderent in Chriſtum, atque exciderentur, eam ſeducti a Phariſaeis diſpoſitionem mentis induerant, ut doctrinae Dei doctrinas hominum ſubſtituerent, & mandata Dei humanis traditionibus irrita facerent (*a*).

XXVII. Haec porro mentis diſpoſitio circa tempus renaſcentiae ſcientiarum invecta eſt, & poſtmodum in dies magis magiſque confirmata. At quo utilius ad Philoſophicas allata fuerat, eo perniciosius ad Theologicas tranſvecta eſt diſciplinas. Tunc coepit novitas inceſſere vetuſtatem. Ante illud tempus nondum auditum fuerat, veteres Eccleſiae Patres ſub quadam veluti caligine poſitos ea non vidiſſe in explanandis fidei myſteriis, quae accuratior recentiorum diligentia detexit. Nondum ea cujuſpiam catholici animo inſederat opinio, praeclaros illos fidei pugiles adeo aeſtu diſputationis in tranſverſum fuiſſe actos, ut ubique fere exceſſerint, ſaepe etiam in illa eadem perverſa dogmata, quae impugnabant lapſi fuerint, ſaepiſſime in oppoſitum errorem viſi ſint declinaſſe: cautiſſime itaque legenda eorum opuſcula, eorum placita ad recentiorem Theologiam examinanda; nec uſurpanda eorum dicta niſi novitiis quibuſdam terminorum formulis temperata & concluſa: praeſtare imo, ut ab eorum pedagogia liberetur Eccleſia. Nondum ſonuerat vox illa erga eoſdem Patres contumeliae pleniſſima, doctrinam morum non a veteribus, ſed a recentioribus eſſe hauriendam. Nondum illorum ſcripta traducta fuerant tamquam inutilia: quaſi tam profunda obſcuritate fuerint exarata; ut vix labore improbo, ac ne vix quidem genuinus illorum ſenſus percipi poſſit. Nondum denique, ne ſingula enumeremus, quibus Sanctorum Patrum nomini, auctoritatique detractum eſt, nondum inquam in mentem cujuſpiam venerat immane illud paradoxum, ea quae nunc ſub nomine veterum Latinorum, Graecorumque Patrum opera circumferuntur, non ipſorum eſſe, ſed venerando eorum nomini ſuppoſita circa ſaeculum Eccleſiae IX ab otioſis ſuperbiſque impoſtoribus. Haec aliaque plura, quibus novitatis amor fovetur noviſſimis hiſce ſaeculis fuerant reſervata. Ex tunc etiam quaecumque ab Haereticis objecta SS. illi Doctores in libris ſuis potentiſſime debellaverant, rurſus, tanquam ex illorum doctrina profluant, intentioſiſſime conclamantur. Ex tunc nonnulli ſacrae doctrinae articuli, quos veteres illi Patres inter fidei dog-mata

(*a*) Vid. Matth. XV.9., & Marci VII.9.

mata recenſuerant, tamquam opiniones hominum haberi coeperunt; tum eis aperte contradictum eſt; poſt etiam tamquam periculoſi, & errori affines traducti. Ex tunc confictae hypotheſes in uno homine perſonam hominis & perſonam Chriſtiani diſtinguentes, utrique diverſos fines, diverſa officia praeſtituentes, atque inde de vitiis & virtutibus, de praemiis & poenis abſurda, rectaeque doctrinae repugnantia derivantes. Ex tunc coeperunt controverſiae morum vago probabilitatis uſu definiri: fidei dogmata rationis potius quam auctoritatis regula expendi, atque explanari: in iis vero diſputationibus, quas novitas invexiſſet, ac de quibus apertum non tuliſſet Eccleſia judicium, illae praeferri ſententiae, quae vel cupiditati magis blandirentur; vel hominis ingenio magis attemperarentur; & ſortem hominis non in manu Domini, ſed in manu ipſius hominis conſtituerent: Patrum autem, ipſarumque etiam Scripturarum teſtimonia, quae viderentur opinionibus ejuſmodi repugnare, frivolis diſtinctiunculis eludi, contortiſque interpretationibus depravari.

XXVIII. Quantum autem haec humanae mentis diſpoſitio influere debuerit, ut cordis corruptio germen incredulitatis proferret, facile poteſt per ſeſe quiſque intelligere. Iis enim, qui non verentur tranſgredi fines, quos poſuerunt Patres, cur pronum non ſit in profundum uſque delabi, ſi impellat cordis corruptio? Cur non facile, poſtquam detractum eſt majeſtati Religionis, in ejuſdem contemptum corruptio cordis abducat? Et ubi coeperint haberi ut incerta, quae prius tamquam certiſſima in chriſtiana fide habebantur; cur non & in reliquis erraſſe veteres facile perſuadeatur? Aut quid tam abſurdum, quod aliquam probabilitatis ſpeciem induere nequeat, ut fucum iis faciat, qui vago probabilitatis uſu delectantur? Quinam denique incredulorum ſeductioni magis patent, quam illi, qui ſe ſcientiam Religionis callere perſuaſi, intimam principiorum ejus connexionem ignorant, ratiunculis aſſueti ſunt, novitatem amant, novitati plaudunt, veteres irreverenter excipiunt, & ſanctam myſteriorum obſcuritatem impatienter ferunt?

XXIX. Et certe poſtquam ejuſmodi novandi libido Theologorum etiam animos invaſit, nonne eouſque quidam illorum progreſſi ſunt, ut docuerint, abſolutionis, ac proinde juſtificationis capacem eſſe hominem quantumvis per negligentiam culpabilem Myſteria Trinitatis atque Incarnationis ignoret: ſpiritum fidei in Deum cognitum praeciſe ut unum, & ut remuneratorem omnibus inquirentibus ſe fuiſſe ſpiritum adoptionis in lege naturae communem uſque ad Evangelii promulgationem omnibus gentibus, & qui ipſos quoque legis ſcriptae obſervatores efficeret filios Dei: quin nec explicitam fidem remuneratoris eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſed ſolum fidem unius Dei, eamque late dictam, ex teſtimonio ſcilicet creaturarum, ſimilive motivo: aſſenſum fidei utilem ad ſalutem ſtare poſſe non ſolum cum notitia tantum probabili revelationis, ſed etiam cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus: eos, qui bona fide, atque invincibili ignorantia nullam aliam Religionem, praeter naturalem, amplectuntur, & ad ejus normam ſuas exigunt actiones minime damnari; imo naturalem illis deberi beatitudinem: Religionem ſupernaturalem quoad revelationem, & gratiam utilem eſſe ad naturalis Religionis finem, qui in naturali beatitudine ſitus ſit, obtinendum: non eſſe evidens, quod exiſtat nunc in terris aliqua vera Religio; quod omnium, quae in terris exiſtunt, verae ſimillima ſit chriſtiana;

quod afflante Deo fuſa ſint Prophetarum oracula; quod vera fuerint, quae a Chriſto edita fuiſſe commemorantur miracula? Nonne alii ſacrarum etiam litterarum expoſitionis obtentu catholicae veritati aut praejudicium intulerunt, aut abſtulerunt praeſidia, quibus potiſſimum roboratur, & tenebras offuderunt ſuper eos quoque articulos, quos Chriſtiani populi fides ac pietas praecipue profitetur & colit? Nonne denique alii honeſtatem, aut turpitudinem humanorum actuum ſola utilitatis & commodi ratione dimenſi ſunt; atque aperte docuerunt, non peccare quando aliquis ſequitur id quod videtur commodius, modo exiſtimetur eſſe licitum: filium licite gaudere de morte Patris, quia inde ſibi obvenerit haereditas: licere operari propter honorem praeciſe; atque hinc poſſe virum equeſtrem ad honorem tuendum & acceptare duellum, & offerre: licite occidi furem ob valorem unius aurei, occidi item eum qui de nobis aut noſtris gravia crimina ſpargere comminaretur; fornicationem de ſe non eſſe malam; appetitum naturalem licite frui poſſe voluptatibus ſibi convenientibus etiam uſque ad ſatietatem propter ſolam voluptatem &c.? Qui his ac ſimilibus doctrinis fuerint imbuti numquid non facile incredulorum libris aut ſermonibus, urgente cordis corruptione, ad illorum partes adducentur?

XXX. Ecce clara nitidaque ratione expoſuimus incredulis, cur factum ſit, ut ſolum poſtremis hiſce temporibus eorum numerus plurimum excreverit; & nihilominus radix incredulitatis ſit cordis corruptio, quae late quovis tempore graſſata eſt. Ad ejuſmodi commemoranda doctrinae propudia a nonnullis noſtrae communionis vulgata (quod non ſine intimo doloris ſenſu praeſtitimus) coegit nos neceſſitas retundendi falſam incredulorum gloriationem, qua infirmiores turbari ſolent, de ortu incredulitatis ex inſtauratione ſcientiarum; neceſſitas item depellendi immanem illam, quam ipſi increduli chriſtianae religioni imponunt infamiae notam, dum ignorantiae adſcribunt jactabundi ejuſdem propagationem, atque ad tot ſaecula durationem: neceſſitas demum ſtabiliendi argumentum, quod in hac cauſſa arbitramur ad commovendum, perſuadendumque eſſe graviſſimum; quo ſcilicet oſtenditur, quam turpis ſit incredulitatis origo. Neque tamen nos paenitet, talia commemoraſſe. Hinc enim intelligere poterunt increduli, quam turpiter ipſi calumnientur, dum privatorum opiniones affingunt Chriſti Eccleſiae; quae imo earum plures aperte proſcripſit; ac ſi quae forte ſunt, quas nondum ſolemni definitione damnaverit, non tamen eas approbat, ſed prudentiſſime tollerat, propter ſanitatem pacis, ne in parte praeciſa inſanabile maneat vulnus erroris (*a*); nec etiam tacet, ſed multis modis indicat filiis ſuis quid tenere, & ſequi debeant, quid cavere (*b*). Hinc etiam, qui in fide ſunt dignoſcere debent, quanti interſit, formam habere ſanorum verborum (*c*), quam a Scriptoribus apud nos divinis, ſanctiſque Eccleſiae Patribus accepimus; devitare autem profanas verborum, & opinionum novitates (*d*); nec auditum accommodare magiſtris, qui (*e*), dum auribus pruriunt, avertunt animos a veritate, eoſque ad fabulas convertunt.

XXXI. Atque hoc loco iterum monemus incredulos, ut advertant ſalubriter in

(*a*) Vid. S Aug. L. II. de Baptiſm. c. Donatiſt. n 5.

(*b*) Vid. S. Aug. L. II. ad Inquiſit. Januarii, ſive Epiſt. LV., al. CXIX. n. 35.

(*c*) II. Timoth. I. 13.

(*d*) I. Timoth. VI. 20., & II. Tim. II., 16., III. 14.

(*e*) II. Timoth. IV. 3., 4.

in hoc ipſo quod ſero admodum ramos ſuos expanderit incredulitas, argumentum contineri pro veritate fidei chriſtianae ſtabilienda apertiſſimum. Illae ſcilicet Scripturae, quas nos divinas praedicamus, ipſi autem tamquam hominum figmenta deſpiciunt, teſtimonium accipiunt, quod ſint divinitus inſpiratae ex ipſa tam ſera incredulitatis productione. In iis ſiquidem ſicut legimus praedictum plures quolibet tempore futuros in Eccleſia malos, & multos ob cordis corruptionem receſſuros a fide (*a*); ita pariter legimus praenunciatum, hanc multorum a fide defectionem non alio eſſe tempore futuram, niſi in noviſſimis diebus, ideſt poſt longum ſaeculorum intervallum. Ad noviſſimos ſane dies ex toto contextu capitis XI. Epiſtolae ad Romanos pertinere intelligitur illa ramorum, qui contra naturam inſerti fuerant in bonam olivam, ex ipſa myſtica oliva praeciſio, apoſtaſiam a chriſtiana fide denotans, quam pluribus fidelibus ex gentibus comminatur prophetando Apoſtolus, ſi aliquando & ipſi in illam incredulitatem inciderent, cujus merito Judaei offenderunt in Chriſtum, & ab arbore praeciſi ſunt, qua ſcilicet non credebant a Deo nobis juſtitiam donari, ſed eam volebant noſtris viribus comparari (*b*). Spiritum quoque manifeſte dicere quod diſcedent quidam a fide attendentes ſpiritibus erroris commemorat idem Apoſtolus (*c*); ſed ibidem non tacuit futurum id in noviſſimis temporibus. Idem rurſus monuit, quod inſtabunt tempora periculoſa; erunt enim homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, voluptatum amatores, corrupti mente, reprobi circa fidem (*d*); ſed praemiſit periculoſa haec tempora futura in noviſſimis diebus (*e*). Apoſtolus etiam Petrus praenuntiavit venturos in deceptione illuſores, qui ſcilicet joco habeant Religionem, alioſque decipere ſtudeant, quaſi non ſint adimpletae promiſſiones in Scripturis contentae; ſed omnia ſic perſeverent ab initio creaturae (*f*): ſed & ipſe pariter addidit, venturos ejuſmodi in noviſſimis diebus. Eaſdem denique, & aliorum etiam fortaſſe Apoſtolorum praedictiones commemorans Apoſtolus Judas, refert pariter ad noviſſimos dies (*g*). Ita nempe Scripturae noſtrae rebus ipſis fidem ſibi adſtruunt: & quod incredulitas putat ſibi eſſe praeſidio, in argumentum cedit Divinitatis Sanctarum earumdem Scripturarum; quo & incredulitas expugnetur, & chriſtianae Religionis veritas firmius ſtabiliatur, atque evidentius illuceſcat.

XXXII. Corruptionem cordis, ſicut origo eſt incredulitatis, ita ejuſdem eſſe finem, luculenter ſatis oſtendimus comparando incredulorum accuſationes de depravatis chriſtianorum moribus, cum eorumdem incredulorum jactantia de magno ſuorum proſelytorum numero (*h*). Sed abſit, ut judicemus cui potiſſimum vitio indulgeat quilibet incredulorum. Non enim judicamus de ignotis. Vitiis tamen ipſos indulgere, alios pluribus, alios paucioribus; alios iſtis, alios illis, incertum habere non poſſumus. Nec ſic judicantes judicamus, quod nefas eſt, de ignotis, ut immerito ipſi conqueruntur (*i*). Nam ſi ignoti ſunt nobis de facie, qui philoſophiſmum, ut vocant, profitentur; ignota nobis non eſt aut humani cordis corruptio, aut incredulitatis origo: denique non nos latent ſcri-

(*a*) Vid. ſup. §. XIV.
(*b*) Vid. ſup. §. X. & Rom. V. 3. & S. Aug. Lib. de Grat. & Lib. arb. n. 24.
(*c*) I. Tim. IV. 1.
(*d*) II. Tim. III. 2. 8.
(*e*) Ibid. verſ. 1.
(*f*) II. Petri III. 3. 4.
(*g*) Vid. Epiſt. Cath. S. Judae verſ. 17. 18.
(*h*) Vid. ſup. §. XIII. vid. & §. XVI. in fin. & §§. XVII. & XIX.
(*i*) Vid. ſup. §. XV.

ſcripta incredulorum. Et ſane quò ire potuerunt, qui receſſerunt ab illo ſimplici, & ſummo Bono, cui hic adhaeretur ſolum per fidem caritate formatam, niſi in multitudinem voluptatum, in amorem ſaeculi, corruptionemque terrenam (*a*)? Scilicet ab uno non niſi in plura. Nec aliud plane de incredulis judicium ferre poteſt quicumque ipſa commonitus experientia verum eſſe fateri cogatur, quod noſtrae Scripturae habent (*b*), pronum eſſe ad malum ab adoleſcentia ſua ſenſum hominis. Quod ſi enim inter ipſos chriſtianos, qui ſe vel in ſumma felicitate, vel in ſummis cruciatibus aeternum futuros credunt, plures eſſe qui nequiter vivunt & ipſi nobis increduli exprobrare non ceſſant, & nos cum gemitu agnoſcimus (*c*): quid de iis ſentiendum, qui antequam increduli fierent jam erant corde corrupti; atque ex hac corruptione in incredulitatem iverunt?

XXXIII. Anne forte dum quis incredulitatem profeſſus aut negat Deum exiſtere, aut res humanas curare, aut aeterna ſupplicia legis ſuae *praevaricatoribus* infligere, juſtis autem & piis ipſum ex toto corde diligentibus, & cuſtodientibus mandata ejus ſe ipſum dare mercedem magnam nimis, validiora habebit ad virtutem incitamenta, ac efficaciora remedia ac fraena vitiorum; quam cum in chriſtiana religione crederet, de omni verbo otioſo ſe redditurum rationem in die judicii, ac ſi vitiis indulſerit, quantum hic glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum in igne aeterno recepturum tormenti & luctus: ſi autem ſobrie, & pie, & juſte vixerit in hoc ſaeculo, reportaturum in Regno Dei coronam gloriae, ac diadema honoris, itant qui in nomine Chriſti dederit uni ex minimis ejus calicem aquae non ſit amiſſurus mercedem ſuam? An apud eos, qui virtutem inter & vitium nullum intrinſecum diſcrimen agnoſcunt, firmiora erunt innocentiae praeſidia, quam apud Chriſtianos, qui legem aeternam atque immutabilem agnoſcunt, cui comparata hominum facta, dicta, cogitata, rationem habeant virtutis, aut vitii, prout regulae illi congruere, vel ab ea deficere inveniuntur? Apage deliria. Evidens quippe eſt, ex incredulitatis *principiis* omnem ſequi peccandi libertatem, ac effraenem in omne malum, praeſertim clandeſtinum occultumque, licentiam (*d*).

XXXIV. Quid enim? Confugient ne cum Bayle ad inſtinctum moralem, ſive ſenſum naturae, atque ad evidentiam, ſive clare cognitam diverſitatem inter bonum & malum, ut nobis oſtendant, haberi intus in ipſo homine, abſque ulla revelationis neceſſitate, ſufficientia principia, quibus moveantur homines ad virtutem, atque a vitiis retrahantur? Puto, quod iis vocabulis = *Senſus naturae* = & = evidentiae moralis = nil aliud deſignent, quam quod nos legis naturalis nomine indigitamus, quam (*e*) etiam ante datam legem per Moyſem nemo permiſſus eſt ignorare; quippe (*f*) ſcripta cum ſit in ipſis cordibus hominum, ne ulla quidem eam delet iniquitas. At ignorent oportet humani cordis corruptionem, qui legem hanc naturalem, aut etiam quamlibet legem ad aliud valere poſſe exiſtimant, quam ut, quemadmodum nos dicimus cum Apoſtolo (*g*), per eam habeatur cognitio peccati. Cur autem non attendunt, quam vere dictum ſit

(*a*) Vid. S. Aug. Serm. CXLII. al. LIV. de verb. Dom. vel XXXIV. inter homil. L. n. 2.

(*b*) Geneſ. VIII. 21.

(*c*) Vid. ſup. §. XI.

(*d*) Vid. Staniſlai Konarſki e Scholis Piis de Religione honeſtorum hominum §. XIII. pag. 227. & ſeq. & §. XV. pag. 268.

(*e*) Vid. S. Aug. Enar. in Pſal. LVII. n. 1.

(*f*) Vid. S. Auguſt. L. II. Confeſ. n. 9.

(*g*) Rom. III. 20.

ſit a Poeta = Video meliora, proboque; deteriora ſequor = ? Nempe non hic quaerimus utrum apud incredulos poſſit haberi cognitio peccati; ſed utrum inveniantur apud ipſos efficacia incitamenta ad legem per ſenſum naturae atque evidentiam ipſis propoſitam adimplendam. (Sic loqui cogimur agentes cum incredulis, quaſi incitamento aliquo propoſito poſſit homo propriis viribus legem implere. Ignorant enim, vel irrident ipſi neceſſitatem divinae per Jeſum Chriſtum Gratiae, quam nos ab initio fidei, & bonae voluntatis, imo & piae cogitationis uſque ad finis conſummationem per ſingulos actus ad juſtitiam pie cogitandam, volendam, impetrandam, faciendam, augendam, retinendam confitemur per inſpirationem ſanctae dilectionis, ut carnis deſideria majori ſpiritus ardore vincantur: quamque quibuſcumque datur, gratuita miſericordia dari; quibus autem non datur, juſto judicio non dari fideliter credimus, agnoſcentes omnibus quidem communem eſſe naturam, non gratiam). Quod enim ajunt, evidentiae tantam eſſe vim ad movendum animum, ut evidenti bono morali numquam ratio aut voluntas praelatura ſit evidens malum morale, quotidianae experientiae invenitur eſſe contrarium: qua ſcilicet edocemur, ſaepe hominem ſcire quid rectum ſit, atque etiam laudare; attamen torquente dolore carnalis vinculi, aut vetuſtae conſuetudinis pondere praegravante, aut cupiditatis aeſtu vehementiori abripiente, non poſſe a libidinoſis operibus, aliiſque perverſis exceſſibus temperare (*a*).

XXXV. Anne eò ſe recipient, ut dicant, efficax incitamentum eſſe homini ad hoc, ut cognitam virtutem ſectetur, & a vitio cognito abſtineat, quia ſi contra id operetur, quod ſenſus naturae, atque evidentia dictat, condemnabitur a propria conſcientia, ejuſque aculeis, ac morſibus torquebitur; ipſum praeterea ſequetur infamia apud homines; ſaepe etiam publica poena ſceleſtis hominibus lege civilis ſocietatis decreta; vel ſaltem infamiae, & publicae poenae ſubeundae metu angetur? Sed perperam. Nam ut de ſtimulis conſcientiae primum dicamus; fatemur quidem (*b*), nullam eſſe majorem tribulationem, quam conſcientiam delictorum: ſed quibus? niſi iis, qui credunt (*c*) ſe debitores poenarum de abundantia delictorum. Quid porro ſibi timeant illi ex incredulis, vel qui Deum exiſtere non credunt, vel qui Deum nihil curare res humanas exiſtimant, vel qui animam hominis ſimul cum corpore interire dogmatizant? Quid ipſi etiam Religionis, ut vocant, naturalis profeſſores, qui poenas poſt mortem, aut nullas, aut leviſſimas ac temporarias tantum futuras agnoſcunt (*d*); ita ut nullus hominum ſit, qui non aeternam beatitudinem, naturalem illam quidem, qualem ſcilicet olim pro parvulis decedentibus ſine Baptiſmo fabricarunt ſuopte ingenio Pelagiani, ſit conſecuturus (*e*)? In illis ergo, quos primo loco commemoravimus, nulli prorſus; in iis autem, qui naturaliſmum profitentur, vel nulli pariter excitabuntur conſcientiae remorſus, vel debiles admodum, leviſſimi, ac prorſus impares corrupti cordis affectibus, praeſertim ſi vehementes ſint, comprimendis. Appoſite omnino ad incredulitatis principia recentior quidam (*f*) ex incredulorum numero (quem tamen ferunt ante mortem reſipuiſſe) ſcripſit = Conſcientiae morſus ſunt praefocandi, inutiles ante crimen, & po-

(*a*) Vid. S. Aug. L. III. de Lib. arb. n. 52.
(*b*) Vid. S. Aug. Enar. in Pſal. XLV. n. 3.
(*c*) Vid. S. Auguſt. ibidem.
(*d*) Vid. Let. ſur la Relig. eſſent. let. IV.
(*e*) Vid. eumdem Auctor. ibid.
(*f*) La Metrie qui obiit Berolini an. 1751.

poſtea. Bona Philoſophia ignominiam ſibi pararet in hac eriminum conſideratione vel recordatione ſe occupans =.

XXXVI. At enim ſceleſtos, inquiunt, ſequitur poena a legibus conſtituta, & publica etiam infamia (*a*). Quid ergo faciet in tenebris, qui nihil timet, niſi teſtem, & Judicem? Quid in deſerto loco nactus quem multo auro ſpoliare poſſit imbecillem, ac ſolum? Quid ſi artem calleat, qua honeſti hominis famam ſibi ſarctam tectam conſervet; ac ſub ementita zeli ſpecie aemulo nocere, inimicum opprimere tuto poſſit? Quid ſi fuerit Legibus potentior, & caterva adulatorum ſtipatus laudetur in deſideriis animae ſuae utcumque perverſis? Audiant Apoſtolum Paulum humiliter, ac veraciter confitentem (*b*), = Et nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtrae facientes voluntatem carnis & cogitationum =, & alio loco (*c*), = Eramus & nos aliquando ſervientes voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, *odientes* invicem =; & nihilominus pari veracitate teſtantem (*d*), quod fuerat = ſecundum juſtitiam, quae in lege eſt converſatus ſine querela =. Nempe ſumma rei apud iſtos homines, quos ſolus ſupplicii vel infamiae metus cohibet, aut ſtimulat, eſt apparere bonos; atque ex iis impulſibus non eſt cuiquam elaborandum, ut ſit, ſed ſolum ut honeſtus, rectuſque videatur; nec ei plus virtus proderit, quam virtutis opinio. Ut interim omittamus, quaedam eſſe ſcelera, quae nec legibus prohibentur, & de quibus homines gloriantur; ut ſi Advocatus de falſitate vicerit, & Judicem feſellerit (*e*).

XXXVII. An denique, ut homines virtutem ſectentur, ſatis virium ad eos alliciendos habere dicent ipſam pulcherrimam virtutis ſpeciem, ingeminantes illud Poëtae =, Oderunt peccare boni virtutis amore =; novoſque inſuper ſtimulos addi contendent ab illuſtribus magnorum virorum exemplis, a Philoſophicis inſtitutis, a ſtudio proprii honoris tuendi, a ſpe obtinendae inter ſuos gloriae, apud exteros etiam ac poſteros immortalis nominis celebritatis? Itane vero ſibi conſtant iſti, qui ſe Philoſophos jactant? Ex eorum quippe numero, qui haec nobis obtrudunt, alii ſunt, qui Chriſtianos irrident, quod voluptatibus ſenſuum, quae utpote praeſentes certae ſunt, velint ſeſe abdicare ſpe caeleſtium gaudiorum, aeternarumque metu poenarum, quae omnia, inquiunt, incerta ſunt. An vero oſtendent magis certum eſſe cuipiam hominum, quod ſit nominis celebritatem aſſequuturus? Quid ſi aemuli & verſuti magis & potentes famae illius detrahant? Quid ſi eorum geſta litteris monumentiſque non conſignentur, aut conſignata vel fato aliquo pereant, vel conficta putentur? Quid ſi pro vario hominum ingenio culpabunt, & dedecori vertent externi & poſteri illa eadem, ex quibus gloria ſperabatur? Sane increduli dubitant de veritate eorum, quae Moſaicis Libris cotinentur; & ex iis ſunt, qui Moyſem tamquam vaferrimum impoſtorem, & ambitioſum tyrannum traducunt, quem noſtrae Litterae exhibent tamquam virum juſtiſſimum, & mirabilium operum effectorem: iidemque vel confictos praedicant vel falſatos Evangelii Libros; vel Evangeliſtas in referendis Chriſti miraculis aut ex inſcitia deceptos, aut ex malitia deceptores fuiſſe conclamant. An vero majorem, & cer-

(*a*) Vid. Bayle I. Eclairciſſement ſur les Athées.

(*b*) Epheſ. II. 3.

(*c*) ad Tit. III. 3.

(*d*) Philip. III. 6.

(*e*) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CLIII. a LIV. ad Macedonium n. 24, 25, 26.

certiorem, quam Moſaici, & Evangelici libri, fidem ii facient, in quibus heroum incredulitatis egregia, ut ipſi quidem putant, virtutum facinora, ac mores laudabiles deſcribantur? Quis eorum, ſiquidem velit ſibi ipſi philoſophando conſentire, iſtam certam gloriae apud homines, & immortalis nominis praeſenſionem habere jure poterit, eaque ad compeſcendas pravas animi affectiones, ad juge bellum gerendum cum vitiis, ad arctam ac ſalebroſam virtutis ſemitam conſtanter percurrendam incitari, ac roborari? Certe dubitari prudenter non poteſt, quin longe plurimi omni aetate, atque inter quaslibet gentes extiterint, qui ſive veris, ſive in ſpeciem apparentibus virtutibus, illuſtribuſque geſtis ſupra ceteros ſeſe extulerint: attamen quam paucorum, in comparatione tantae multitudinis, nomen ad nos cum laude pervenit, & pauciorum adhuc facta, virtuteſque innotuerunt? Quam itaque rationabilius iſti, qui ſe Philoſophos, qui praejudiciis vacuos, qui ſupra vulgus hominum, quin & ſupra ſe ipſos elevato eſſe ſpiritu jactant, concludent, = Nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum =; atque hinc inferent cum illis impiis, de quibus loquitur Sapientiae Liber (a), = Venite ergo & fruamur bonis, quae ſunt =?

XXXVIII. Rurſus ex incredulis non pauci ſunt, qui virtutem a vitio nullo intrinſeco diſcrimine ſecerni docent (b). Quaenam igitur in horum ſyſtemate illicia habebit virtus ad animos hominum ſibi devinciendos? Cur non aequalia habebit vitium? aut quae tandem inerit pulchritudo virtutis? Nonne ex horum ſententia deliranti ſimilis habendus erit, qui diceret ſe a pulchritudine virtutis illectum eſſe ad eam ſectandam, atque a vitii deformitate repulſum, ne illud amplecteretur, cum nulla juxta horum placitum vel virtuti pulchritudo, vel vitio revera inſit deformitas? Quid ſi aliqui ſint inter incredulos, quibus liberioris illius Philoſophi (c), quem etſi in pluribus adverſarium habeant, in nonnullis doctrinae capitibus probant, arrideat ſententia, quam de ſpiritu legum differens certiſſimam putat, mores ſcilicet hominum, & climata regionum arctiſſimo inter ſe vinculo connecti; nonne conſequens erit, ut quod pulchrum, & honeſto homine dignum ſub uno climate reputatur, deforme ac turpe ſub alio climate judicetur? Quamnam, ſi qui ſunt qui talia ſibi perſuadeant, ineſſe afferent vel pulchritudinem virtuti, vel vitio deformitatem, ut ad illam ſe impelli ſentiant, a vitiis autem retrahi? Aut cur non timebit ſibi infamiam apud gentes ſub aliis climatibus conſtitutas, qui gloriam quaerit apud ſuos?

XXXIX. Sed ſinamus, incredulos ratiocinari, ut ipſis quidem placet: ipſamque rem, quam dicunt, attendamus. Ut ad virtutem alliciantur homines magnum & efficaciſſimum ſtimulum haberi ajunt ex ipſa virtutis pulchritudine (d). Verum ignorare non poſſunt increduli, paucos admodum eſſe inter homines, qui abſtractis hujuſmodi ideis virtutis vivide percellantur; pauciores, qui adverſus voluptatum blandimenta, aut vehementes odii, vindictae &c. affe-

(a) Sapient. II. 4.

(b) Montagna, Helvet, la Metrie, & alii; item qui ſola utilitate virtutem, & vitium metiri oportere dogmatizant. Vid. inf. §§. XLV. XLVI.

(c) Montesquieu auctor Epiſtolarum Perſarum quas vulgavit ann. 1721., & operis de Spiritu Legum edit. an. 1748.

(d) Vid. Bayle Penſées diverſ. §. 178.

affectus firmentur. Atque hic eorum, qui inter ipſos incredulos primores habentur, & philoſophantur, & tamquam magiſtri ſuſpiciuntur a ceteris, fidem obteſtamur (nam honeſti homines nominari volunt), eorumque convenimus conſcientiam, ut ſancte affirment, num propoſita virtutis pulchritudine, addamus etiam, ſi placet, propoſitis gloriae ſtimulis, illuſtrium virorum exemplis, inſtitutionibus morum ex Philoſophia, quae Epicurea non ſit, eive ſimillima, depromptis, multos ad ſua caſtra pertraxerint, vel ab aliis pertractos noverint, atque in his conſtitutos laudabilibus moribus effecerint; an potius propoſitis illecebris voluptatis, ſecuritate ab inanibus, ut ipſi quidem aſſerunt, religionis terroribus promiſſa, alieniſque a ſancta Ethices chriſtianae ſeveritate morum regulis conſtitutis ad omnem cupiditatem fraena laxantibus, & humani cordis corruptioni blandientibus ad ſe allexerint, allectoſque detineant.

XL. Ceterum veriſſime dictum eſt a Poëta (*a*), = Quis enim virtutem amplectitur ipſam, praemia ſi tollas? Quoſnam autem apud incredulos efficaces ſtimulos habere poterit clare cognita virtutis pulchritudo? Si dixerint internam animi tranquillitatem; meminerint, hanc apud incredulos etiam cum vitiis poſſe componi (*b*). Si dixerint, gloriam; meminerint, ad gloriam apud homines captandam non tam virtutem prodeſſe, quam opinionem virtutis (*c*). Si denique dixerint, ipſam per ſe virtutem complere animum honeſta quadam voluptate; meminerint, facile eſſe philoſophari ſermonibus, rebus autem arduum; & aliud eſſe Stoica ſuperficie ac vultu uti ad captandam populi auram, aliud habere virtutem in animo: cum praeſertim ſuas etiam habeant vitia voluptates, illicitas illas quidem, & homine ſapiente indignas, eo tamen acriores, vehementiores, tenaciores, quo vividius ea nos percellunt, quae per ſenſus haurimus, quam quae ſola cognitione complectimur. Quae omnia uſque adeo vera ſunt, ut ipſemet Bayle, qui, ut adnotavimus, illicia virtutis tantopere extulit (*d*), re deinde accuratius perpenſa ingenue confeſſus fuerit (*e*), inania haec eſſe perfugia, quamdiu ejuſmodi incitamenta virtutis intra hujus mortalis vitae terminos concludantur, nec ad aliam animae vitam poſt diſſolutionem ipſius a corpore referantur.

XLI. Quid vero dicendum de iis, qui Religionem, quam vocant naturalem, ſectantur? An apud eos efficaces inveniri poterunt ad virtutem ſtimuli, quippe qui & Deum colere, & ejus Providentiam revereri, & animam poſt corporis mortem perenniter ſupereſſe profitentur? Ita plane, ſiquidem illos audias; imo efficaciores, ait unus eorum (*f*), quam apud Chriſtianos. Quod ſi ab eo quaeras, cur ita ſit? eam ſtatim profert rationem; quia Chriſtianus veniam peccatorum ſe obtenturum confidit, eaque ſpe ſit ad peccandum audacior. Naturaliſta autem nullum agnoſcit medium obtinendae veniae, ſi peccet; vigilatque ideo attentius, ne peccet. Ignorat nimirum, aut ignorare ſe ſimulat homo eruditus, atque honeſtus, Poenitentiam, alteram

(*a*) Vid. Juvenal. Sat. X. verſ. 141. Vid. & Ovid. de Pont. L. II. Eleg. III. ver. 11-14.

(*b*) Vid. ſup. §. XXXV.

(*c*) Vid. ſup. §. XXXVI.

(*d*) Penſées diverſ. §. 178. Vid. ſupra §. XXXIX.

(*e*) Vid. Diction. crit. art. Pomponace.

(*f*) Mr. de Saint Euremond, ſive quiſquis ſit auctor operis, cui titulus = Examen de la Religion =.

teram poſt naufragium tabulam, haberi apud Catholicos laborioſum Baptiſma (*a*): atque inconcuſſum apud ipſos eſſe, non agi, ſed fingi poenitentiam, ſi ſit a cordis converſione ſejuncta; hanc autem neminem a ſe ipſo habere poſſe, ſed ſolum ex gratuita miſericordia Dei, qui miſeretur, cujus miſeretur. Nec videt homo acutus, ſi nulla eſt remiſſio peccati, unum e duobus evidentiſſime conſequi; aut ſcilicet nullas eſſe homini timendas poenas poſt mortem: quod ſi verum putat Naturaliſta, jam effraenem habebit ex impunitate licentiam peccandi; aut ſi culpam ſequitur poena poſt mortem, ſemel ac Naturaliſta in aliquod crimen incurrerit (arbitramur autem neminem illorum ita deſipere, ut impeccantiam ſibi arroget), deſperatione veniae ſemetipſum tradet impudicitiae, avaritiae, ceteriſque quibuſcumque pro opportunitate ſceleribus.

XLII. Cuinam autem allati dilemmatis parti adhaereant Naturaliſtae, difficile non eſt ex aliis magni apud ipſos nominis Scriptoribus intelligere, ſimulque dignoſcere, omne penitus vitiorum fraenum ab ipſis abjici, dum ſcilicet de impunitate ſibi blandiuntur. Quid enim timendum eſt poſt hanc vitam homini, qui naturalem legem violaverit? Numquid ſupplicium aliquod, quod ad punienda peccata infligat divina juſtitia? Nihil tale, reſpondet nuperus Naturaliſta, auctor ſcilicet Epiſtolarum = ſur la Religion eſſentielle a l'Homme =. Juſtitia Dei, ait ipſe (*b*) non debet ſic concipi, quaſi poenas infligat. Non enim, inquit, eſt aliud, niſi conſtans Dei voluntas perducendi creaturas ſuas ad felicitatem; eumque in finem ad ordinem, qui a felicitate inſeparabilis eſt, eaſdem, ſi forte ab illo deflexerint, reducendi: haec, & non alia eſt notio propria divinae juſtitiae. Porro ſi ad felicitatem omnes perventuri ſunt, atque ut omnes ad eam reipſa perducantur juſtitiae divinae eſt; profecto felicitatem obtinebunt etiam qui perverſiſſime vixerint. Dolorem equidem aliquem ſubituros illos aſſerit; quoniam ſicut in membris corporis, ita & in facultatibus animi, dolor eſt naturalis ſequela deordinationis: fortaſſe etiam ſicut idem ſubdit, media quibus divina Sapientia utitur, ut hominem reducat ad ordinem, a quo perverſa voluntate deſciverat, dolorem ex ipſa deordinatione naturaliter conſequentem magis adhuc augebunt: ſicut licet ex luxatione pedis vel brachii dolor naturaliter producatur; acrior adhuc, & intenſior fit, dum Chirurgus luxata oſſa in ſuas ſedes reſtituit. Sed quid hujuſmodi doloris futuri timor, cum certa aeternae felicitatis ſecuritate conjunctus valere umquam poterit ad vehementiam praeſentium cupiditatum per totam vitam compeſcendam, & pugna continua vincendam? Praeſertim vero quia an futurus ſit iſte dolor, incertum habent Naturaliſtae. Quaerenti ſiquidem an poſſit Deus hominem in primaevam integritatem abſque ullo ejuſdem hominis dolore reſtituere, reſpondet idem Auctor (*c*), negandum id non eſſe omnipotentiae Dei (quaſi ſcilicet ad omnipotentiam pertineat, ea etiam poſſe facere, quae ſapientiae, juſtitiae, bonitati, aliive cuipiam ex divinis attributis repugnent): additque, quod ſi qui voluerint ita ſentire de Deo, non eis ipſe repugnabit. Denique dolorem hujuſmodi & temporaneum eſſe, nec importabilem, atque in eo ſitum eſſe quod anima ſentiat, ſe ab ordine receſ-

(*a*) Vid. Tridem. Seſſ. XIV. cap. 2.
(*b*) Part. I. Let. IV. Amſterdam 1738.
(*c*) Let. IV. dans la Note pag. 50.

Digitized by Google

receſſiſſe, cogaturque ad ipſum redire, confirmat alius recens Scriptor inter Naturaliſtas (*a*): qui idcirco lucubrationem ſuam triplici hoc epiphonemate concludit: Beati, inquit, qui a prima aetate cognoverint, & calcaverint viam felicitatis (*b*): Beati etiam, qui eam cognoverint, & inierint ſaltem aliquando, licet ſerius (*c*): Beati denique omnes homines utcumque ad viam felicitatis agnoſcendam ſegnes, & ad eam ineundam pigri extiterint; ſunt enim & ipſis conceſſa ſaecula, ut ad felicitatem perveniant, atque ad eam natura ipſa inceſſanter ferentur; atque ubi illam fuerint aſſequuti, aeternum eadem perfruentur (*d*).

XLIII. Sublato autem timore, fruſtra confugerent Naturaliſtae ad amorem, quem Deo debet homo ut auctori naturae; ut ex eo incitamentum efficax ad virtutem ineſſe ſibi dicerent. Niſi enim timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem (*e*); pietas quippe caritate *quidem* perficitur, ſed timore inchoatur (*f*). Ac praeterea cum in ſyſtemate Naturaliſtarum honor, & offenſa vel injuria non ſint penſanda ex affectu voluntatis hominis erga alium, vel ex hujus contemptu; ſed ſolum ex eo, unde ille quem volumus honorare, augetur; vel, ſi injuriam irrogamus, decreſcit; Deus autem, utpote ens & bonum infinitum, neque cultu noſtro creſcere, neque noſtris injuriis laedi poſſit; ſequitur, ut memoratus Auctor Epiſtolarum = ſur la Religion eſſentielle = monet (*g*), peccatum dici non poſſe offenſam Dei; Deumque nec inhonorari ab homine per illicitas voluptates diffluente, nec ab eo honorari per obedientiam *legis naturalis*; quam praeterea obedientiam Deus non exigit ab homine zelans gloriam ſuam, ſed ſolum optat in gratiam ipſius hominis, ne recedat ab ordine, & obnoxius fiat dolori, qui receſſum ipſum ab ordine naturaliter ſequitur, ſicut naturaliter exurgit dolor in corpore, oſſe aliquo e ſua ſede dimoto. Nimirum evidenter ex his principiis tamquam corollarium ſequitur, hominem qui peccat, non Deum offendere, ſed ſe ipſum: neque amori quem Deo debet, ſed illi potius quem debet ſibimetipſi opponi.

XLIV. Quoniam autem, ut alter Naturaliſta, Auctor ſcilicet principiorum Philoſophiae moralis, ſcribit (*h*), in re morali ut homo recte judicet, debeat ne ponere vel omittere actionem, calculum inire debet voluptatis & doloris ex data actione prodeuntis; quid mirum, ſi voluptatem praeſentem praeferat homo dolori, quem ex receſſu ab ordine timere poteſt ſibi naturaliter obventurum? Praeſertim ſi, ut homo non recedat ab ordine, temporale aliquod bonum, quod ſibi maxime charum fuerit, dimittere debeat; ſi divitiarum, ſi honoris, ſi ſanitatis, ſi ipſius vitae diſpendium ſuſtinere. Ut proinde ſicut nullum in naturaliſmo habet homo ſtimulum, quo excitetur ad obſervantiam legis ex amore, quem Deo debet (*i*); ita nullum plerumque habet efficacem ex amore ſui ipſius.

XLV. Quamquam operoſa diſputatione opus non eſt, ut certum de incredulorum moribus feratur judicium. Satis eſt ad eorum dogmata attendere, quae cir-

(*a*) Vid. Opuſculum cui titulus = Principes de Philoſophie Morale à Geneve 1754. §§. 162, 163, 164. (*b*) Ibid. §. 166. (*c*) Ibid. §. 167. (*d*) Ibid. §. 168.

(*e*) Vid. S. Aug. Enar. in Pſal. CXLIX. n. 14.
(*f*) Vid. S. Auguſt. L. de Ver. Relig. n. 33.
(*g*) Lett. I. (*h*) §. 128.
(*i*) Vid. praeced. §. XLIII.

circa mores, eorumque regulas in ſuis lucubrationibus in vulgus editis tradiderunt. Ex quo apud nonnullas gentes, quaedam conſuetudines obtinuerint publica etiam lege firmatae, quae aliis nationibus horrori fuerunt, atque execrationi, Michaël Montagna ſequutus Sextum Empyricum (*a*) intulit, dictamen omne juſtitiae, honeſtatis, pudoris incertum eſſe, ſi ſola ratio attendatur, eoſque irridet, qui legem aliquam ſtabilem, immutabilem hominum cordibus inſculptam agnoſcunt (*b*); non attendens, tam non ſequi quod non extent in homine immutabiles notiones honeſti, & turpis, ex quo nonnulli eas, abſque ullo pudore, cupiditatibus excaecati perverſiſſime confuderint; quam non ſequitur, non eſſe naturale homini duos in facie habere oculos, ex quo legatur, extitiſſe aliquos, qui unicum, eumque in fronte, oculum haberent. Hujus Sceptici increduli veſtigia premens incredulus Dogmatiſta Thomas Hobbeſius, regulas boni & mali, juſti & injuſti, honeſti & inhoneſti ſtatuit eſſe leges mere civiles, nec ante condita imperia illas extitiſſe; omnemque actionem in ſe eſſe adiaphoram (*c*). Succinuit Spinoza, docens, in ſtatu naturali non poſſe concipi peccatum; juſtitiam autem, omnemque in proximum caritatem a ſolo imperii jure, hoc eſt a ſolo eorum decreto, qui jus imperandi obtinent, vim juris & mandati accipere (*d*). Quorum omnium placita renovavit La-Metrie, aperte dogmatizando, virtutem, & vitium de ſe res eſſe indifferentes.

XLVI. Cum itaque nulla ſit, juxta memoratos incredulorum proceres; lex aeterna, per quam virtus a vitio intrinſecum habeat diſcrimen, ſed humano ſolum jure differentia omnis, qua virtus a vitio diſtare concipitur fuerit invecta, cuinam demum fundamento ſuperſtrui debebant humanae ejuſmodi leges? Si in ſtatu naturae menſura juris erat utilitas propria, juxta Hobbeſium (*e*); cur non etiam modo? Ita plane, reſpondet Benedictus Spinoza: lex humanae naturae univerſalis eſt, inquit (*f*), ut nemo aliquod, quod bonum eſſe judicat, negligat, niſi ſpe majoris boni, vel metu majoris damni; nec aliquod malum perferat, niſi ad majus malum evitandum, vel ſpe majoris boni. Subſcribit Helvetius docens (*g*), utilitatem menſuram eſſe humanarum actionum; & Philoſophum (*h*), qui toti loquitur orbi, ſuper fundamentum propriae utilitatis virtutem componere debere. Nuperus denique anonymus Auctor Syſtematis ſocialis, quod opus Londinenſibus typis prodiit an. MDCCLXXIII., & ipſe propriam cujuſcumque hominis utilitatem tamquam ſupremam agendorum regulam conſtituit (*i*).

XLXII. Sub illa autem propriae utilitatis generalitate etiam quaslibet ſenſuum voluptates in incredulorum ſyſtemate concludi, explorata res eſt. Si enim utilitas propria menſura eſt juſti & injuſti, honeſti & turpis; quae jam erunt voluptates, quae titulo utilitatis nequeant honeſtari, & a quibus imo abſtinere non ſit quandoque turpiſſimum? Praeſertim cum, ut expreſſe monet Spinoza (*k*), utilitas, aut damnum, quae debent hominem determinare

(*a*) Pyrrhon. Hypotyp. L. III. c. 24.

(*b*) Eſſais tom. II. chap. 12. pag. 542. edit. de l' Haye 1727.

(*c*) De Cive cap. 1. §. 14. & cap. 12. §. 1.

(*d*) Tract. Theol. polit. c. 16. & 19.

(*e*) De Cive cap. 1. §. 10.

(*f*) Tract. Theol. polit. cap. 16.

(*g*) De l' Eſprit. Diſcours. III. chap. 9.

(*h*) Diſcours II. chap. 24. (*i*) Chap. 6. p. 60.

(*k*) Tract. Theol. polit. cap. 16.

ad agendum, prout ſunt regula morum, non attendantur, niſi ſecundum apprehenſionem, & judicium operantis. Hinc eſt, quod idem Spinoza (*a*) jus naturale uniuſcujuſque hominis, non ſana ratione, ſed cupiditate, & potentia determinatum eſſe definit. Hinc Helvetius tradituros nationibus, ut ipſe quidem gloriatur, vera moralis diſciplinae principia, docendas eas eſſe ait (*b*), quod dolor & voluptas ſint ſoli mundi moralis *motores; quodque* (*c*) omnis juſtitia derivata ſit ex phyſica ſenſibilitate, unde enaſcuntur *voluptas* & dolor, ad quae indigitanda cenſet (*d*) boni & mali vocabula *primitus* fuiſſe invecta. Hinc denique anonymus Auctor ſyſtematis ſocialis utilitati propriae, quam (*e*) finem ultimum, ſeu, ut ipſe vocat, punctum centrale omnium humanarum conſtituit actionum, proprium privatum bonum conjungit, quod (*f*) definit eſſe continuatam voluptatem; huic autem *percipiendae* eum ſtatuit canonem, quem olim Epicurus in Epiſtola ad *Menoeceum* (*g*), omnem ſcilicet voluptatem bonam eſſe, non tamen omnem eligendam; ſed plures imo tranſgrediendas; quando ſcilicet ex his major nos moleſtia ſequitur; & cum eodem pariter Epicuro (*h*) poſuit (*i*), amicitiam a voluptate non poſſe divelli, ob eamque rem colendam eſſe, quod ſine ea tuto, & ſine metu vivi, nec jucunde quidem, poſſet. La-Metrie autem omnem utilitatem ſola voluptate definire viſus eſt, ſcribens impudentiſſime, eum, qui magis ſibi fecerit ſatis in patrando malo, eſſe beatiorem quocumque alio, qui minus fecerit ſibi ſatis in patrando bono.

XLVIII. Nihil hic addimus de nova Ethica Mirabaudiana (*k*). Cum enim juxta doctrinam Mirabaudii in nobis producatur ira, quia injuriae cerebrum repellunt; amor autem excitetur ab objecto pulchro cerebrum attrahente in ratione inverſa duplicata diſtantiarum; iique ſeſe invicem perſequantur, in quibus cerebrum unius polum borealem obvertit polo auſtrali *alterius*, *lege* prorſus contraria illi, quae in binis magnetibus obſervatur (*l*); profecto in Mirabaudiano naturae ſyſtemate nullae humanarum actionum directrices regulae ſtatui poſſunt, ſed omnia ex fortuito objectorum incurſu, & moleculaium cerebri combinatione peraguntur; proinde tollitur non ſolum omne ad fugiendum vitium, ſectandamque virtutem incitamentum, ſed omnis *etiam* notio vitii, & virtutis.

XLIX. Sed nec diverſa ab iis, quae reliqui ſtatuerunt *increduli*, praecepta morum tradere poſſunt Naturaliſtae, ſiquidem ſibi velint *conſtare*. Ea enim ſunt manifeſta conſectaria illius doctrinae, quam cum ceteris incredulis communem habent Naturaliſtae: Deum ſcilicet non eſſe ultimum hominis finem. Hoc enim ſemel conſtituto, manifeſte ſequitur, naturalem hominis finem, quem omnis homo naturaliter appetat, naturae bonis contineri. *Bonum* autem naturae aliud eſt honeſtum, aliud utile, aliud delectabile. Homo

(*a*) Ibidem.
(*b*) De l'Eſprit Diſcours II. chap. 24.
(*c*) Diſcours III. chap. 4.
(*d*) Ibid. chap. 9.
(*e*) Vid. ſup. praeced. §. XLVI. in fin.
(*f*) Chap. 6. pag. 58.
(*g*) Apud Laertium Lib. X. ſegm. 125.
(*h*) Apud Ciceron. L. II. de *Finib. Bon.* & Malor. c. 16.
(*i*) Chap. 6. pag. 59.
(*k*) Siſteme de la Nature, Part. II. chap. 9.
(*l*) Vid. Reflex. Philoſoph. ſur le Siſteme de la Nature part. I. chap. VIII.

mo igitur non ſolum bonum honeſtum; ſed etiam bonum utile, ac bonum delectabile habere licite poterit pro fine ultimo, ad quem ſuas dirigat actiones; & quodlibet ex his tribus bonis ſectetur, non ſolum vituperari non poterit, ſed merito recteque laudabitur; etiamſi concurrente bono honeſto cum bono utili, vel delectabili, operans utilitatem, delectationemve honeſtati praeponat. Cumque in bonum utile ac delectabile propenſiores ſint homines, quam in bonum honeſtum; profecto morum regulas etiam apud Naturaliſtas, non ſecus ac apud alios incredulos quoſcumque, delectabili bono, vel utili potius, quam honeſto, inaedificari oportuit.

L. Ea pariter Naturaliſtarum vox eſt, ceteris quibuſcumque incredulis communis: Hominem talem eſſe, qualis eſſe debet; nec fuiſſe conveniens ſervando ſocietatis humanae ſyſtemati, ut melior conderetur, quam nunc eſt. Ex quo principio evidens fit, a Naturaliſtis, non ſecus ac ab incredulis quibuſcumque, concupiſcentiam inter primordia humanae naturae enumerari. Erit ergo bona concupiſcentia, ejuſque deſideriis obedire bonum erit; repugnare, reſiſtere, malum erit. Quod ſi dixerint, evenire quidem ipſam naturali neceſſitate ex naturae humanae compoſitione; attamen morbum eſſe, & defectum: illud ſaltem ſtabit inconcuſſum, malum non eſſe ejus deſideriis non reluctari, ſed obſequi. Quod enim naturali neceſſitate evenit ex conditione naturae, ſi malum eſt, vel defectus; malum eſt phyſicum, non morale; phyſicus, non moralis defectus. Nam & prurigo morbus eſt; neque tamen peccat, qui ei non reſiſtit, ſed cedit: & claudicatio defectus eſt; neque tamen, qui claudus eſt, peccat, ſi deambulat. Hinc nuperus auctor operis = De la Philoſophie de la nature = Naturaliſmi manifeſtus propugnator, amorem boni, atque ambitionem a natura nobis inſeri affirmat (*a*), & utrumque ita eſſe animo eſſentiales aſſerit, ſicut muſculi in corpore animali ad organicos motus peragendos omnino requiruntur (*b*). Cumque amorem boni appellet primum motorem mundi phyſici, ambitionem vero primum itidem motorem mundi moralis (*c*); docet, bonum relate ad entia ſenſibilia non eſſe aliud, quam ſeriem voluptatum ſibi per inſtantia temporis ſuccedentium (*d*); vel (*e*) ſummam voluptatis, detractis malis, ſuperſtitem. Ex ambitione vero, quam innocuam omnem eſſe aſſerit, excepta illa avarorum pecunias intra arcam cuſtodientium, & miſeram vitam agentium (*f*), oriri vult innoxium pariter appetitum in homine ſeſe extendendi ſive in futurum tempus per nominis celebritatem, ſive in praeſenti per multiplicem rerum cognitionem, per poſſeſſionem divitiarum &c. (*g*); eoque appetitu diſtingui hominem addit (*h*) ſive ab atomo, cui, cum nihil habeat, nihil poteſt acquiri; ſive a Deo, qui, cum in ſe omnia contineat, capax non eſt ullius incrementi. Ex his porro principiis quae jam in moralem diſciplinam dogmata deriventur, facile quiſquis intelligit (*i*). Sufficiat advertere, novum iſtum Philoſophum quaslibet animi motiones, quas paſſiones vocamus, quas qui-

dem

(*a*) Tom. III. pag. 105.
(*b*) Tom. I. pag. 103.
(*c*) Tom. III. pag. 105.
(*d*) Tom. II. pag. 162.
(*e*) Ibid. pag. 164.
(*f*) Tom. III. pag. 131.
(*g*) Ibidem. (*h*) Ibidem.
(*i*) Vid. Egregium opuſculum, cui titulus = Les Contradictions du Livre intitulé de la Philoſophie de la Nature =.

dem omnes vel ex amore boni (ſcilicet, juxta traditam (*a*) boni definitionem, ex amore voluptatis), vel ex ambitione oriri, atque ex alterutrius impreſſione cieri exiſtimat (*b*), innoxias declarare; & tamquam abſurdos, ac ſupremae intelligentiae injurioſos traducere ſive illos, qui illarum vel unam aliquam vitio naturae deputent, non ipſi naturae; ſive qui hominem earumdem impulſibus conſentientem vituperant (*c*).

LI. Neque vero objiciant nobis increduli egregia quaedam formandis hominum moribus praecepta, quae vel in veterum ethnicorum libris, ac legiſlatorum inſtitutis, vel in ipſis etiam ab incredulis recentioribus editis opuſculis inveniuntur. Iterum enim eos monemus (*d*), non hic inter nos quaeri, utrum extra chriſtianam religionem poſſit haberi cognitio peccati: hoc imo eis ultro concedimus; ſincere quippe profitemur, ſignatum eſſe ſuper nos lumen vultus Domini ad oſtendendum nobis bona (*e*), quod lumen *obnubilare* quidem, non tamen extinguere omnino ulla poſſit iniquitas (*f*); ut mirum proinde eſſe non debeat, ſi homines quamvis terrenorum affectuum labe vitiati, in ipſa nihilominus impietate, aliqua, quae legis ſunt, ſapiant (*g*). At negamus, illa honeſtatis, aliarumque virtutum praecepta cohaerere cum principiis incredulorum (*h*); & contendimus, eos inter ipſos cohaerenter ad eadem principia philoſophari, qui omnia vitiis quibuſcumque fraena laxari poſſe concludunt (*i*). Rurſus negamus, ad praecepta illa virtutis honeſtatiſque ſervanda inveniri apud incredulos efficacia incitamenta (*k*). Quin imo hac in parte deteriores eſſe ethnicis ſaltem pluribus modernos incredulos aſſerimus. Nam apud plures ethnicos naturalis lex ſufficienti ſanctione non deſtituebatur, validis ſcilicet motivis hominem ad ejus obſervantiam impellentibus; agnoſcebant quippe ſupremum aeternumque Legiſlatorem, in quem peccarent homines legem tranſgrediendo, a quo proinde graviſſimo aeternoque *ſupplicio* ſceleſti afficerentur. At vero apud modernos incredulos, non ſolum eos, qui vel Deum negant, vel ejus providentiam, vel animae immortalitatem; ſed ipſos etiam Naturaliſtas, lex naturalis ſufficienti ſanctione deſtituitur; quippe qui non admittant, peccatum eſſe Dei offenſam, divinaeque ſanctitati opponi (*l*); inficientur aeternitatem, imo & gravitatem poenarum poſt mortem (*m*), omnibuſque aeternam aliquando juſtitiam, beatitatemque polliceantur (*n*).

LII. Caveant pariter increduli, ne Baylium ſuum ſecuti proferant hic vel Diagoram, Theodorum, Euhemerum famoſos olim atheos, quos tamen integerrimis moribus extitiſſe habemus ex Clemente Alexandrino (*o*): aut barbaras quaſdam gentes etiamnum ſine Deo, ſine Legibus, ex ſola ratione viventes,

(*a*) Cit. pag. 162. tom. II.

(*b*) Tom. III. pag. 103.

(*c*) Tom. I. pag. 103. Vid. ſup. laudat. egreg. opuſ. Les Contradictions du Livre intitulé de la Philoſophie de la Nature.

(*d*) Vid. ſup. §. XXXIV.

(*e*) Pſal. IV. 6., 7.

(*f*) Vid. ſup. §. XXXIV.

(*g*) Vid. S. Aug. L. de Spir. & lit. n. 48.

(*h*) Vid. ſup. §§. XLVI., XLVII, XLVIII, XLIX, L.

(*i*) Vid. ſup. §§. XXXVII. XXXVIII. XLVI. XLVII.

(*k*) Vid. ſup. §§. XXXIV, XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, XLII, XLIII, XLIV.

(*l*) Vid. ſup. §. XLIII.

(*m*) Vid. ſup. §. XLII.

(*n*) Vid. cit. §. XLII.

(*o*) Vid. Bayl. Penſées divers. §. 174.

tes; honeſtiſſimas tamen; omniaque vitae ſocialis jura exactiſſime cuſtodientes, quibus aptari poſſit illud Pauli Apoſtoli (a), = Gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis =: vel inter Sinenſes ſectam illam, quam vocant Litteratorum, quibus, ut Tolandus loquitur (b), non inveniuntur in toto orbe mortales, qui ſint aut moribus elegantiores, aut magis honeſti, aut in obeundis bonorum civium officiis, & muneribus probatiores; quamvis aut nullum omnino agnoſcant Numen, ut ex relationibus quorumdam Sacerdotum ad Evangelium illis Gentibus praedicandum miſſorum colligit Bayle (c), aut certe a materia, & compage mundi minime diſtinctum, ut putat Tolandus (d): vel Epicurum (e) nullam in Deo circa hominum actiones curam, nulla poſt hanc vitam ſupplicia, aut praemia agnoſcentem; & nihilominus non ſolum juſtiſſimis atque honeſtiſſimis moribus viventem, ut oſtendit Petrus Gaſſendus (f), ſed etiam, teſte Cicerone (g), una in domo, & ea quidem anguſta, magnos, magnaque amoris conſpiratione conſentientes, tenentem amicorum greges: aut denique Sadducaeos (h), qui licet animae immortalitatem negarent, erant tamen ſeveris moribus, & praeceptorum legis obſervantiſſimi. Caveant, inquam, ne hiſce exemplis adverſus nos pugnare nitantur: hoc enim perinde eſſet, ac ſuam ipſorum cauſſam prodere. Nam ſi Ciceroni de Epicuro, ſi Anderſonio de Gronelandis, ſi unius, aut alterius Scriptoris teſtimonio de Sinenſium Litteratis credunt; cur de Jeſu Chriſto non credunt Moyſi, non credunt Evangeliſtis? Si Clementi Alexandrino de integritate morum Diagorae, Theodori, Euhemeri, & recentibus Scriptoribus de Litteratorum Sinenſium atheiſmo fidem adhibent; cur eam detrahunt eidem Clementi veteres illos ab atheiſmi nota vindicanti: iiſdemque Scriptoribus totam illorum Litteratorum Sinenſium virtutem in ſagaci vitiorum ſuorum diſſimulatione conſiſtere aſſerentibus? Honeſtos homines & Dialectices atque artis criticae peritiſſimos ſe jactant novi iſti, qui talia nobis opponunt, Philoſophi: Ubi eorum in judicando aequitas? Ubi in hiſtoricis monumentis expendendis eorum vel peritia vel fides.

LIII. Quid quod Baylius exempla illa probitatis in atheis, aliiſque vel Providentiam Divinam, vel animae immortalitatem negantibus, magnifice jactans ne apud ipſos quidem Naturaliſtas fidem inveniet? Ex his enim Auctor Epiſtolarum = Sur la Religion eſſentielle a l'Homme = principii loco ſtatuit (i), ſi Providentia Divina negetur, morum ruinam ſtatim inferri: Auctor autem Opuſculi = Principes de Philoſophie Morale = perſuaſum habet, quod ſi hominis ſyſtema intra hujus mortalis vitae terminos coerceatur, carebit homo ſufficientibus motivis, ut virtutem amplectatur; praeſertim ſi citra rerum ſuarum, aut ipſius etiam vitae diſpendium, probus eſſe non poſſit. Quia

(a) Rom. II. 14. 15. Vid. infra §. LXVI.
(b) Adeiſid. §. 24.
(c) Contin. des Penſ. §. 154.
(d) Cit. §. 24. Adeiſidaemon.
(e) Vid. Bayl. Dict. crit. art. Epicurus. Epicuri, inter opera Gaſſendi tom. V. Ejuſdemque notas, ad Lib. X. Laertii.
(f) Vid. Lib. ſeptem de vit. & morib.
(g) Lib. I. de Finibus cap. 20.
(h) Penſées divers §. 174.
(i) Prim. part. pag. 2.

Quin nec ſibi ſuffragantem habebit Bayſius recentiſſimum ex Incredulis, Auctorem ſcilicet ſyſtematis ſocialis; quippe qui doleat barbariem, & ignorantiam, vitiorum fontes uberrimos, inter ipſas quoque cultiſſimas Europae Nationes etiamnum vigere; quod malum inde repetit, quod, ut ipſe quidem putat, necdum genuina moralis doctrinae praecepta detecta ſint, vixque eorum unum aut alterum a longe, & ſubobſcure vix deprehenderint acutiſſima recentiorum Philoſophorum ingenia. Quo igitur pacto dare is poterit Baylio tantam, quantam ille depraedicat, virtutem in iis, qui novorum Philoſophorum obſervationes penitus ignorarunt; quando nec per ipſas ſufficiens allatum eſt remedium moribus componendis? Sed & Helvetio, aliiſque ante ipſum Incredulis, qui tam multa de legibus, & officiis ſcripſerunt, non facile perſuadebit Baylius ſaltem quod de Barbarorum ſine ullis legibus viventium virtutibus ex Anderſonio profert; ne videlicet fateri cogantur, inanem ſe ſuſcepiſſe laborem, de iis quae ad Jus pertinent libros ſuos implendo; ac tum demum reditura Saturnia regna, ſi legibus omnibus, omnibuſque de Jure commentariis abolitis, permittantur populi ſuopte vivere arbitratu. Eidem autem Epicuri, aliorumque atheorum virtutes celebranti reponeret Tullius, quod olim de Epicuro repoſuit, a quo librum de Sanctitate ſcriptum fuiſſe ferebatur, = Ludimur ab homine non tam faceto, quam ad ſcribendi licentiam libero. Quae enim eſſe poteſt ſanctitas, ſi Dii humana non curant (*a*) = ? Ipſemet Bayle, qui (*b*) non alios agnoſcit atheos fugiendi vitii, & virtutis ſectandae capaces, quam illos, quos vocat atheos *ſyſtematice*, *qui nimirum* ex aſſumpto aliquo principio, quod veriſſimum haberent, philoſophando illationes plures deduxerunt, quibus gradatim eò pervenerunt, ut Dei exiſtentiam negarent, quomodo perſuadere ſibi potuit, integrum populum, rudem, barbarum, nulla philoſophiae diſciplina imbutum, ac proinde etſi atheum, non tamen atheum ſyſtematice, conſtanter juſtitiae, & honeſtatis leges ſervare?

LIV. Sed jam ipſa, quae Baylius opponit, exempla attendamus. Diagoram, inquit, Theodorum, Euhemerum Atheis accenſent Tullius, Plutarchus, Laertius: eorumdem autem probitatem celebrat Clemens Alexandrinus. Ita plane. Verum ſi Clementi Alexandrino ſtandum ſit, fatendum erit, eos non Dei exiſtentiam negaſſe; ſed atheos habitos fuiſſe, quia Deos populares non utique Deos eſſe aſſeruerint, ſed homines & mortales fuiſſe monſtraverint; id quod de Euhemero potiſſimum conſtat ex ejus *hiſtoria ſacra*, quam ab Ennio in latinam linguam converſam memorat *Cicero* (*c*). Si autem lapſus eſt hac in parte Clemens Alexandrinus; quis non videat, multo magis errare ipſum potuiſſe circa illorum mores: cum vitia illi ſua caute diſſimulare potuerint? Equidem de moribus Diagorae, & Euhemeri *nihil* vel Tullius, vel Socrates, vel Laertius tradiderunt. At de Theodoro refert Laertius (*d*) haec fuiſſe illius dogmata: = Furto, & adulterio, & ſacrilegio, cum tempeſtivum erit, daturum operam Sapientem: nihil quippe horum natura turpe eſſe, ſi auferatur de hiſce vulgaris opinio, quae ad continendos ſtultos conflata eſt: Sapientem publice abſque ullo pudore ſcortis congreſſurum

(*a*) Lib. II. de Finibus cap. 24. L. I. de Conſenſ. Evangeliſt. num. 32. &c

(*b*) Vid. Dict. crit. art. Bien. Lib. VII. de Civit. Dei cap. 27.

(*c*) Lib. I. de Nat. Deor. apud S. Auguſt.

(*d*) Lib. II. Segm. 99.

rum =. Nec ab his dogmatibus alienos habuiſſe mores patefecit occaſione cujuſdam convivii apud Lyſimachum, ut refert idem Laertius (a): quod Baylius ipſe de Hypparchia loquens in ſuo Dictionario critico retulit; ut mirum plane ſit, non eum puduiſſe proferre Theodorum, dum Atheorum virtutes ab exemplis demonſtrare ſuſceperat.

LV. Gronenlandos eſſe atheos, non facile dabimus Baylio. Sed eſto athei ſint, quaenam autem illis morum integritas? = Barbari hi, inquit Joannes Blaeu (b), cum doloſi ſunt, tum feri adeo, ut nec blanditiis, nec minis cicurari poſſint...... foetidi ſunt, foedique ac ſalaces.... nec obſcoenum illis putatur, quod ceteris pudori eſſet =. Ipſe Anderſonius, cujus auctoritate pugnat Baylius, teſtatur (c) effraenem iis populis eſſe ab ipſa nativitate licentiam, nec enim vel in infantia ulli parentum correptioni, aut correctioni ſubjacent; adulti nulla legum vincula, nullam cuique ſubjectionem agnoſcunt, ſed quiſque arbitratu ſuo vivit: ac de iiſdem refert, quod Danis ad eorum littora adventantibus quaſcumque poſſunt merces furantur; additque, quo cum Danorum unus imprudens interiora regionis penetraſſet, inventus ab incolis multis confoſſus eſt vulneribus, ex quibus profluentem ſanguinem avidiſſime ſugebant. En qui ſint hi, quos tamquam heroes virtutis audet proponere Baylius.

LVI. De Epicuro ſi ex ejus diſcipulis judicium ferendum ſit, erit profecto, unde Baylius erubeſcat. Scilicet ex illius ſchola Horatius Flaccus, Petronius Arbiter, Lucretius prodierunt. Qualis fuerit Horatius ipſa ejus carmina omnibus notiſſima demonſtrant. Quam voluptuoſus fuerit Petronius tum ex ipſo ejus Satyrico, tum ex Tacito (d) ſatis colligitur. Denique priores Lucretiani Poëmatis verſus auctorem nomine Voluptatis, quam ultimum hominis finem ſtatuit, non aut virtutem intellexiſſe, aut animi tranquillitatem, ſed ſenſuum oblectamenta, diſertiſſime legentibus patefaciunt. Sed & Romani Alcaeum, & Filiſcum Epicureos ex urbe ejecerunt, quia multarum, flagitioſarumque libidinum auctores eſſent adoleſcentibus (e). Meſſenii etiam propterea Epicureos expulerunt (f). Porro magni ponderis eſt argumentum ex moribus Epicureorum ad Epicuri ſenſum animumque dignoſcendum. Teſte enim Numenio Pythagorico Philoſopho (g) nulla fuit Philoſophorum ſecta, quae magiſtri dogmata diutius & fidelius ſervaverit, quam illa Epicureorum: hi imo, ut habemus ex Themiſthio (h), Epicuri placita majori veneratione proſequebantur, quam Athenienſes leges Solonis, aut Lacedaemonii leges Lycurgi. Si autem de Epicuro judicandum ſit ex ejus dogmatibus, quae non quidem aliquis Stoicus Philoſophus referat, quos magnis in Epicurum ejuſque ſcholam odiis clarere voluiſſe Epicuri Apologiſtae exiſtimant, ſed quae exhibet Laertius Epicureus & ipſe Philoſophus, nil minus deprehendemus, quam decantatam illius hominis probitatem. Hoc nimirum

E

(a) Lib. VI, Segm. 97. in Hypparchia.
(b) In Magno Atlante.
(c) Hiſt. Natur. de l' Iſlande, Groenland. &c. tom. II, pag. 236.
(d) Lib. XVI. Annal. cap. 18.
(e) Ælian Var. Hiſt. Lib. IX. cap. 12.
(f) Ælian. ibid. & Athenaeus Lib. XII. Dipnſoph.
(g) Apud Euſeb. Lib. XIV. Praep. Evangel. cap. 5.
(h) Orat. IV.

Digitized by Google

rum erat Epicuri dogma (a), Voluptatem principium ac finem eſſe beatae vitae; nullamque proinde per ſe voluptatem eſſe malam. Et licet aſſereret non poſſe jucunde vivi, niſi prudenter, & honeſte, & juſte vivatur; non propterea exiſtimare debemus, ex Epicuri ſententia ſectandam eſſe homini juſtitiam, atque honeſtatem. Artem ſcilicet voluptatis capiendae praeſeribit, quam & alibi clarius expreſſerat, ſcribens, non omnem voluptatem eſſe eligendam, verum ſaepe plures tranſgrediendas, quando ex his major nos moleſtia ſequitur. Nam & injuria, ajebat, per ſe malum non eſt: verum ob ſuſpicionis metum, quod latere nequeat eos, qui hujuſmodi ſunt injuſtitiae conſtituti vindices, non eſt inferenda. Itaque & virtutes affirmabat eligendas eſſe, non propter ſe ipſas, ſed propter voluptatem; ſicut medicina eligitur propter ſanitatem: imo licet dolor omnis ſit malum, non tamen ſemper repudiandum eſſe quemlibet, quandoquidem ex diutina tolleratione dolorum major nos voluptas ſequitur. Poſt haec Epicuri dogmata, quis malevolentiae, & non potius veritati deputet, quod de illo ſcripſerit Seneca (b), = Certos habebat dies ille magiſter voluptatis Epicurus, quibus maligne famem extingueret, viſurus an aliquid deeſſet ex plena conſummataque voluptate, vel quantum deeſſet = ? Quis, inquam, haec malevolentiae deputet? Ea enim praxis Epicuri theoriae apprime conſonat; eaque admiſſa, ſtatim cum illius de voluptate dogmatibus, cumque vivendi genere, quod ſectati ſunt ejus diſcipuli conciliantur, quae de parco ac vili cibo, quo ipſe cum ſuis utebatur nonnulli perhibent.

LVII. Non mirum autem, quod conſentientes inter ſe viverent Epicurei, atque amicitias tuerentur (quamquam hoc, quod pro magno ponitur in Epicuro, non Tullius, ut Bayle aſſerit, ſed L. Torquatus unus ex illius Dialogi interlocutoribus, Epicuri ejuſque ſectae acerrimus defenſor (c) commemorat). Eſt enim quaedam amicitiae dulcedo. Sed cum haberent amicitiam conſuetudinis, quae ſcilicet oritur per conſuetudinem cohabitandi, colloquendi, ſimul converſandi; quae amicitia adhuc carnalis eſt; habent enim illam & pecora (d), erat ne inter illos amicitia rationis, qua diligimus hominem propter fidem, & mutuam benevolentiam in iſta vita mortali ? Quis ita exiſtimet de Epicureis, qui amicitias ut & virtutes propter voluptatem aſſumebant ? Unde nec proprie amicitia vocanda eſt, ſed ei ſpecie quadam fallaci ſimillima. Nam qui propterea alium amat, ut voluptas, vel aliud quodcumque temporale commodum ſibi obveniat, non hominem amat, ſed id quod ſibi ab illo praeſtatur, vel praeſtandum ſperatur (e); atque, ut ait Tullius (f), amicis fundos & villas anteponit. Ceterum idem ille Epicurus, qui quod amicitias coluerit tamquam eximiis moribus celebratur, contumelioſe Ariſtotelem vexavit, Phaedoni Socratico turpiſſime maledixit, Metrodori ſodalis ſui fratrem Timocratem plenis voluminibus proſcidit, & in Demetrium magiſtrum ſuum ingratiſſimus extitit (g). Cum deinde in illo contubernio verſarentur etiam amicorum non ſolum uxores, ſed & concubinae; eſt plane ali_

(a) Vid. Laertium. Lib. X.
(b) Epiſt. XVII.
(c) Vid. L.I. de Finibus cap. 20.
(d) Vid. S. Auguſt. Serm. CCCLXXXV. al. XXXVIII. inter L. Homilias n. 3.
(e) Vid. S. Aug. ibid. n. 4.
(f) De Finib. L. II. cap. 26.
(g) Vid. Cicer. L. I. de Nat. Deor.

aliquid quod vehementer culpetur. Unde & ipſe Gaſſendus maximus Epicuri vindex optime advertens, contendere ſe non poſſe rem in illa conſuetudine perinde ſe habuiſſe, ac ſi quiſpiam marmoribus copulaviſſet marmora; eò apologiam Epicuri ſui perduxit, ut aſſereret, quod illis temporibus non magno dabatur vitio, ſi quis a ſe nihil humanum alienum eſſe arbitraretur; ac ſolum damnatum habebatur a Philoſophia ſi quiſquam intemperanter, & cum legum, ſanitatis, ac famae diſpendio ſeſe voluptatibus ſenſuum dederet (a): licet Epicurum ipſum continenter vixiſſe ſubjungat; quod tamen non tam virtuti, quam corporis infirmitati, qua, teſte Brukero altero Epicuri Apologiſta (b), laboravit uſque ad obitum, tribuendum eſſe facile quiſquis ex ipſa ratione vivendi, certiſque ac fixis ejuſdem dogmatibus intelliget.

LVIII. De Sinenſium Litteratorum Atheiſmo aut Pantheiſmo non poſſumus convenire ſive cum Baylio, ſive cum Tolando (c). Quidquid tamen ſit; ex *Hiſtoricis*, qui de rebus Sinenſibus ſcripſerunt, apparet., Litteratos illius Gentis ſaepiſſime auctoritate ſua abuti, debiliores opprimere, avaritiae inſervire, fraude ac dolo agere, crudeliter ſaevire, ſuorum autem morum corruptelas caute occultare (d).

LIX. Sadduceaos denique crudelibus & ferinis moribus fuiſſe ſcribit Joſephus (e). Ex ea ſecta extitiſſe Ananum, imperante Nerone, Judaeorum Pontificem, tradit Euſebius (f), qui eumdem vocat ſuperbiae, & temeritatis pleniſſimum; eamque ſectam in exercendis judiciis Judaeos ceteros immanitate ſuperaſſe teſtatur. Denique Sadduceaeos impios fuiſſe, & peſſimis moribus ſcribit Rab-Abraham Zachut relatus a Druſio (g). Ceterum cum Sadducaei etſi negarent animae immortalitatem, venerarentur tamen tamquam divinos libros Moyſis, & promiſſiones in his contentas de bonis temporalibus ad litteram intelligerent; nil mirum ſi conſpicua opera legis facerent, ad obtinenda ſcilicet temporalia, quae legem ſervantibus promiſſa eſſe, atque a Deo infallibiliter danda non dubitabant. Et quamquam perſuaſum habemus, quod legem ipſam partim quidem diſtortis interpretationibus, Phariſaeorum more, ad ſuas voluptates & commoda detorquerent, ſaepe autem aperta praevaricatione violarent; per legales tamen expiationes purificari ſe confidebant; & quia non declinarent ad idola, ſed ſervarent externi cultus ritus ac ceremonias, a promiſſis ſe minime excidiſſe ſperabant. Hoc autem motivum ad exteriorem legis juſtitiam procurandam ſatis validum eſſe carnalibus hominibus praeſentibus hujus vitae commodis tantummodo inhiantibus, quales erant Sadducaei, non diffitetur ipſemet Baylius (h).

LX. Diutius fortaſſe, quam par erat, in his immorati ſumus, ſed coercenda erat incredulorum de quadam ſibi eruditionis praeſtantia plaudentium audacia; patefaciendum, non cito adhibendam fidem iis, qui ad labefactandam

(a) Vid. Gaſſendum de Vit. & morib. Epicuri L. VII. cap. 5.

(b) Hiſt. Philoſ. Part. II. L. II. c. 13. §. 4.

(c) Vid. Chriſtiani Kortholi Diſſert. proaemial. ad tom. II. Epiſt. Leibnitii ad diverſos §. 40.: ejuſdemque Leibnitii Epiſt. de Sinenſium Philoſophia ad D. de Remond.

(d) Vid. Memoir de la Chin. tom. I., L. V. Parrhaſian. tom. III. pag. 145., Hiſtor. Card. Tournon; Diarium Legat. Mediobarbae &c.

(e) De Bello Judaico Lib. II. cap. 8. n. 14.

(f) Lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap. 2.

(g) De tribus ſectis Judaeorum L. III. c. 12.

(h) Dict. critic. art. Sadduc.

dam Religionem veterum temporum, & remotarum nationum monumenta & hiſtorias proferunt; quantamcumque praeſidentiam, & ſinceritatem praeſeferant; quantacumque etiam eruditionis laude, & criticae artis peritia fortaſſe celebrentur. Praeconcepto ſiquidem conſilio detrahendi Religionis chriſtianae vel veritati, vel certitudini, vel ſanctitati, vel ad *juſtitiam* atque ad beatam vitam neceſſitati, jam animo praeoccupati, ac *praepediti* ſingulas factorum, ſeu narrationum circumſtantias aut non ſatis expendunt & *falluntur*, aut de induſtria praetermittunt, ut fallant.

LXI. Cum autem nihil ſolemnius in hac cauſſa habeant increduli, quam ut ad exempla nos provocent illorum ex ſuis, quos dicunt & miſericordes, & caſtos inveniri & ſobrios, civium & patriae amatores, nemini fraudem dolumve facientes, fidem ſervantes, pecuniis honoribus dignitatibus minime inhiantes, cunctiſque uno verbo abundare virtutibus; aliunde *vero in* ſingulorum mores inquirere nec liceat, nec vacet; idcirco ad generalia *principia res* eſt haec tota exigenda. Sed prius monendi ſunt iidem Increduli, quod ſiqui revera tales apud ipſos invenirentur, quales jactant; profecto non magis eis dandum eſſet laudi, quod temperantes ſint, quod modeſti, quod ſobrii &c., ac ſi forent incontinentes, immites, criminatores, doloſi &c.; ſi videlicet ex iis ſint, qui ſive virtutem & vitium res eſſe indifferentes, nullaque ab invicem intrinſeca diverſitate diſtinctas exiſtimant (*a*), ſive concupiſcentiam laudant tamquam bonam, eamque inter humanae *naturae primordia* recenſent (*b*). Quinimo ex hoc ipſo, quod ſint pudici &c., *invenientur in crimine*; quod nimirum aliud ſequantur in moribus, aliud teneant in dogmate; ſi nempe ſint ex illorum numero, apud quos non alia eſt lex morum, niſi utilitas (*c*), & voluptas (*d*).

LXII. Jam ad rem ipſam quod attinet: praemonuimus (*e*), quod cum dicimus, corruptionem cordis, ut eſt principium, ita & finem eſſe *incredulitatis*, minime deſignare aut volumus aut poſſumus, cui potiſſimum *vitio* quilibet incredulorum indulgeat. Addimus imo, ultro nos agnoſcere eſſe nonnulla congenita, quae in aetate, qua uſus incipit eſſe rationis, ſicut ipſa ratio, incipiunt apparere. Nam cur non annuemus eſſe quoſdam natura miſericordes; ſi natura quoſdam non negamus excordes? Unde B. Jobus affectum miſericordiae de utero matris ſecum egreſſum eſſe confirmat (*f*). *Sic* etiam alii timidi naſcuntur, alii audaces, alii protervi &c. *Fruſtra proinde* in miſericorde crudelitas, in timido audacia &c. requiretur. At *viciſſim* nobis concedere debent increduli, nihil eſſe iſtorum malorum, quae perpetrari etiam membris corporis poſſunt, quod cogitatio non antecedat mala & coinquinet hominem, etiamſi aliquid impediat, ne ſubſequantur opera flagitioſa, & facinoroſa membrorum. Si enim quia poteſtas non datur vacat manus ab hominis internecione; numquid ideo mundum eſt a ſcelere cor homicidae? aut ſi cupienti per mendacium laedere proximum, tempus vel locus deſit; ideo falſum teſtimonium non ore interiore jam dixit (*g*)? Pariter diffiteri.

(*a*) Vid. ſup. §. XLV.
(*b*) Vid. ſup. §. L.
(*c*) Vid. ſup. §. XLVI.
(*d*) Vid. ſup. §. XLVII.
(*e*) Vid. ſup. §. XXXII.
(*f*) Vid. Job. XXXI. 18. & S. Aug. L. IV. c. Julianum n. 16. & L. II. Op. imp c. 129. in fin.
(*g*) Vid. S. Auguſt. L. de Continentia n. 4.

ri non poſſunt increduli, cupiditatem, quae in vitio ponitur, non tantum eſſe corporis, verum & animi. Numquid enim inimicitiae, contentiones, aemulationes, poſtremo animoſitates, aut vitia non ſunt, aut in corporis voluptatibus, & non potius in animi motibus, & perturbationibus exercentur(*a*)? Sed & illud admittere nobiſcum debent, virtutibus non ſolum eſſe vitia manifeſta diſcretione contraria, ſicut prudentiae temeritas; verum etiam vicina quodam modo, nec veritate, ſed quadam ſpecie fallente ſimilia; ſicut ipſi prudentiae non temeritas vel imprudentia, ſed aſtutia (*b*). Denique explorata res eſt, vitio non carere, in quo vitium vitio pellitur (*c*): non numquam autem apertiſſima vitia occultis aliis vinci, quae putantur eſſe virtutes, in quibus regnat ſuperbia, ac quaedam ſibi placendi altitudo ruinoſa (*d*); quin & aliquando vitium unum cedere, ut plura ſuccedant; velut qui ebrioſus fuerit, ſi modicum biberit, & tenacitatem atque ambitionem didicerit (*e*).

LXIII. Quid ergo quantum ad cauſſam, quam agimus, juvat incredulos, quod aliquos ex ſuis proferant, quos temperantiam, modeſtiam, aliaſque virtutes colere jactant? Quid enim (*f*), ſi eorum alii ſint ſobrii, ne ſecus major eos moleſtia ſequatur, Epicuri magiſterio edocti inire calculum voluptatis, & doloris, antequam aliquam ſeligant voluptatem (*g*); prout etiam placuit Helvetio (*h*), Auctori itidem principiorum Philoſophiae Moralis (*i*), ac nupero alii ex Naturaliſtis Scriptori docenti, hominem ſatis habere debere ſi ſumma doloris, moleſtiae, vel mali cujuſcumque ſubtrahenda ex ſumma voluptatis perceptae, hanc minime excedat (*k*)? Quid ſi a voluptatibus ſenſuum temperent exterius timore hominum, ne rebus ſuis noceant, non interius in corde amore virtutis? vel ſi quantamcumque modeſtiam affectent coram hominibus, ad eos pertineant, de quibus ſcribebat Apoſtolus (*l*) = Quae in occulto fiunt ab ipſis turpe eſt & dicere =? vel denique ſi omnis illorum temperantia inde oriatur, quia langueſcunt aegritudinibus, torquentur doloribus, labore & curis debilitantur, ſenio hebetantur? Et quid aliud credere par eſt de hominibus, qui cum a cupiditatum aeſtibus non ſint immunes, iiſdem abſtrahi vel malum non putant (*m*), vel etiam bonum eſſe arbitrantur (*n*), nulloque ne iis indulgeant, fraeno retrahuntur (*o*); quibuſque non tam virtus, quam virtutis opinio prodeſt (*p*)? Quid rurſus ſi honores, ſi dignitates, ſi alia hujuſmodi ſplendida vitae hujus ornamenta ſic deſpiciant, & hu-

(*a*) Vid. S. Auguſt. cit. L. de Continen. num. 28. & L. XIV. de C.D. c.2. n.2.

(*b*) Vid. S. Auguſt. L. de Sententia Jacobi, ſive Epiſt. CLXVII. al. XXIX. ad Hieronym. n. 6., & L. IV. c. Julian. n. 20.

(*c*) Vid. S. Auguſt. cit. Epiſt. CLXVII. ad Hieronym. n.9.

(*d*) Vid. S. Auguſt. L. XXI. de C.D. c.16.

(*e*) Vid. S. Auguſt. cit. n.9. Epiſt. CLVII. ad Hieronym.

(*f*) Vid. S. Auguſt. L.V. de C. D. c.20. & Lib. IV. c. Julian. n. 70.

(*g*) Vid. ſup. §. XLXVI.

(*h*) Vid. ſup. §. XLVII.

(*i*) Vid. ſup. §. XLIV.

(*k*) De la Philoſophie de la Nature T.II. pag. 162.

(*l*) Epheſ. V. 12.

(*m*) Vid. ſup. §. L.

(*n*) Vid. ſup. §§. XLIV., & XLVII.

(*o*) Vid. ſup. §§. XXXIV. in fin. XXXV, XXXVI, XXXVII, XL, XLII, XLIII, XLIV.

(*p*) Vid. ſup. cit. §. XXXVI.

& humile privatae conditionis genus ſic eligant; ut quod Cynico illi profitenti ſe Platonis faſtum calcare repoſuit idem Plato = Calcas; ſed majori faſtu = , hoc ipſum in illos merito poſſit intorqueri? Quid pariter ſi abſtinent ab alieno, & de ſuo ſaepe amiſſa non repetunt, ne jurgiis, & judiciis plura conſumant? Si oblatas etiam pecunias conſtanter reſpuunt, *ne ſe aliquid* cuiquam debere fateantur? Si nulli faciunt injuriam, *ne offenſis legibus voluptas* vivere ſecura non poſſit? Si datam fidem ſervant ad *comparandas amicitias* corporalibus commodis neceſſarias? Si aliis benefacere atque *quibuſcumque* modis poſſunt opitulari ſtudent, ut eos arcte ſibi devinciant, nec ipſis tantum, ſed & aliis ſpe ſimilium beneficiorum allectis dominentur? Quid denique ſi Civium, ſi Patriae amatores ſe exhibent, ut eorum in Reipublicae negotiis exquirantur conſilia, ut ad capeſſendos Magiſtratus viam ſibi ſternant, utque ementito publicae utilitatis ac felicitatis *zelo vel Reipublicae* moderatores audacius lacerent, vel ſuorum occultent *dogmatum pravitatem*? Quae quidem quam ſint Principum ſecuritati inimica, & populorum tranquillitati ac felicitati pernicioſa omnes intelligunt.

LXIV. Abſit nimirum, ut vitium vere vincatur niſi vera virtute. Abſit autem, ut verae virtutes eſſe dicantur, quae aut voluptati, aut quibuſcumque commodis, & emolumentis temporalibus famulantur, *vel quae* in id unice tendunt, unde placeantur hominibus, aut ventoſae *gloriae ſerviatur*. *A qua* foeditate nec illi ſe defendunt, qui cum aliena *ſpernant judicia*, *velut gloriae* contemptores, ſibi ſapientes videntur, & ſibi placent. *Nam eorum virtus*, ſi tamen ulla eſt, alio modo quodam humanae ſubditur laudi: neque enim ipſe qui ſibi placet, homo non eſt (*a*). Non abſurde virtus definita eſt ab eis, qui dixerunt (*b*), Virtus eſt animi habitus naturae modo atque rationi conſentaneus (*c*). Porro naturae modo atque rationi omnino conſentaneum eſt uti utendis, & frui fruendis. Frui nimirum dicimur ea *re*, de qua capimus voluptatem: utimur ea, quam referimus ad *id*, *unde voluptas* capienda eſt. Hoc proprium omnino eſt naturae rationalis. Nam frui quidem cibo & qualibet alia corporea voluptate non abſurde exiſtimantur & beſtiae. Uti autem aliqua re non poteſt, niſi animal, quod rationis eſt particeps. Scire namque, quò quidque referendum ſit, non datum eſt rationis expertibus (*d*). Omnis itaque humana ordinatio, quae virtus nominatur, eſt fruendis *frui*, & utendis uti; ac rurſus omnis humana perverſio, quod etiam *vitium vocatur*, eſt fruendis uti velle, & utendis frui (*e*). Sed & qui non *bene utuntur*, abuti potius dici ſolent. Non enim cuique prodeſt id, quo male utitur, & quod non prodeſt, non utique utile eſt: utile autem quidquid eſt, utendo eſt utile: ita nemo utitur, niſi utili: non ergo utitur quiſquis male utitur (*f*). Perfecta igitur hominis ratio, quae virtus vocatur, utitur primo *ſe ipſa* ad intelligendum bonum ſummum, ut eo fruatur: utitur autem ceteris rationalibus animantibus ad ſocietatem, irrationalibus ad eminentiam. Vitam etiam ſuam ad id refert, ut fruatur bono: ita enim beata eſt. Ergo & *ſe ipſa* utitur.

(*a*) Vid. S. Auguſt. L. V. de C. D. c. 20.
(*b*) Vid. Cicer. L. II. de Invent.
(*c*) Vid. S. Aug. L. IV. c. Julian. n. 19.
(*d*) Vid. S. Auguſt. quaeſt. XXX. inter LXXXIII.
(*e*) Vid. S. Auguſt. ibidem
(*f*) Vid. S. Auguſt. ibidem.

tur. Utitur etiam corporibus quibuſdam vivificandis ad beneficentiam; ſic enim utitur ſuo corpore: quibuſdam aſſumendis, vel reſpuendis ad valetudinem: quibuſdam tolerandis ad patientiam: quibuſdam ordinandis ad juſtitiam: quibuſdam conſiderandis ad aliquod virtutis documentum: utitur etiam iis, a quibus abſtinet, ad temperantiam. Ita omnibus & ſenſis, & non ſenſis utitur: nec aliquod tertium eſt. Judicat autem de omnibus, quibus utitur; de ſolo bono ſummo, hoc eſt fine ultimo non judicat, quia ſecundum ipſum de ceteris judicat; nec eo utitur, ſed fruitur: neque enim ad aliquid aliud referendum eſt bonum ſummum; quoniam omne, quod ad aliud referendum eſt inferius eſt, quam id ad quod referendum eſt; nec aliquid bono ſummo ſuperius(*a*).

LXV. Hinc etiam patet, quod virtutes cum ad ſe ipſas referuntur, nec propter aliud appetuntur, inflatae & ſuperbae ſunt; & ideo non virtutes, ſed vitia dicenda ſunt (*b*). Quantumvis enim officio bonum ſit id quod agitur, non tamen agitur conſentanee modo naturae, & rationi: quia quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera ſapientia praecipit, conſentaneum non eſt liberandae ac beatificandae naturae mortalium (*c*). Nam ſicut non eſt a carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit vivere; ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beate vivere (*d*). Quod ignorantes, vel non advertentes veteres illi Philoſophi, qui vitam beatam in virtute ſitam eſſe dixerunt, ac proinde virtutem propter ſe ipſam appetendam eſſe docuerunt, in errorem abſurdiſſimum lapſi ſunt; ut cum aſſerunt (*e*), etiam in Phalaridis tauro beatum eſſe ſapientem, cogantur fateri, vitam beatam aliquando eſſe fugiendam. Ex aggeratis enim malis corporis cedunt, atque in eorum moleſtiis graviſſimis abſcedendum ex hac vita eſſe decernunt (*f*).

LXVI. Nimirum cognitio ultimi finis creaturae rationalis omnino neceſſaria eſt homini ad hoc, ut quod ab ipſo fit non tam officio, quam etiam fine rectum, ac per hoc vera virtus eſſe poſſit. Hujuſmodi cognitione qui careat, poterit quidem per liberum arbitrium voluntatis naturaliter inditum velle etiam quaedam bona; ſed humana affectione vel propter aliqua temporalia commoda appetentur, in quo (*g*) invenitur cupiditas, vel propter ipſam ſolummodo vitae honeſtatem, in quo (*h*) invenitur inflatio, & tumor ſuperbiae (*i*). Tales erant illi ex gentibus (*k*), qui teſte Apoſtolo Paulo (*l*), legem non habentes, nihilominus ea, quae legis erant, faciebant, oſtendebantque opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Terrenae patriae babylonicam dilectionem exhibuerunt; & virtute civili, non vera, ſed veriſimili daemonibus, vel humanae gloriae ſervierunt: non aliis faciebant, quod perpeti nollent;

(*a*) Vid. S. Auguſt. ibidem.

(*b*) Vid. S. Auguſt. Lib. XIX. de C. D. cap. 25.

(*c*) Vid. S. Auguſt. Lib. IV. c. Julian. n. 18. 19. 21.

(*d*) Vid. S. Auguſt. cit. c. 25. Lib. XIX. de Civit Dei.

(*e*) Apud Cicer. Tuſculan. 5.

(*f*) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CLV. al. LII. ad Macedon. num. 2.

(*g*) Vid. ſup. §. LXIV.

(*h*) Vid. ſup. §. LXV.

(*i*) Vid. S. Rhemig. L. de tenen. verit. Scripturae c. 11. Vid. & S. Aug. L. IV. c. Julian. num. 26.

(*k*) Vid. ſup. §. LII.

(*l*) Rom. II. 14. 15.

lent; hoc tamen peccantes, quod non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt; quoniam tamen iſta opera legis utcumque fecerunt, mitius & tolerabilius punientur, quam qui naturalem ipſam legem violarunt; ideo de iis ſubjunxit Apoſtolus, quod in die judicii defendent eos cogitationes ſuae (*a*). Si tamen iſti de quibus locutus eſt Paulus, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti juſtificat gratia. *Longe enim cohaerentius ad integrum Pauli ſermonem, nomine gentium ſcriptum habentium opus legis in cordibus, illi intelliguntur; qui, non ſicut Judaei praemiſſa ſibi lege, ſed ex gentibus, quibus non eſt lex data per Moyſem, venerunt ad Chriſti fidem* (*b*). *Naturaliter autem eos dixit, quae legis ſunt facere; quia hoc agit ſpiritus gratiae ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis. Vitium quippe contra naturam eſt, quod utique ſanat gratia; proinde naturaliter homines quae legis ſunt faciunt; qui enim hoc non faciunt, vitio ſuo non faciunt, quo vitio lex Dei eſt deleta de cordibus: ac per hoc vitio ſanato, cum illic ſcribitur, fiunt quae legis ſunt naturaliter; non quod per naturam negata ſit gratia, ſed potius per gratiam reparata natura* (*c*).

LXVII. Jam vero ſola (*d*) Chriſtiana religio illa eſt, quae verum creaturae rationalis finem agnoſcit, ſuiſque jugiter quaerendum, ſperandum, diligendumque praeſtituit. *Cum enim ultimus finis creaturae rationalis, cujus fruitione beata ſit, propter quem ideo inveniendum omnium Philoſophorum invigilaſſe, & laboraſſe videtur induſtria* (*e*), *ab aliis deputatus ſit in virtute animi, ab aliis in corporis voluptate, ab aliis in utraque, ab aliis atque aliis alibi atque alibi* (*f*); Chriſtiana religio, & quidem ſola, ea eſt quae docet, *tam magnum bonum eſſe creaturam rationalem, ut nullum ſit bonum, quo beata ſit, niſi Deus* (*g*).

LXVIII. Porro numquid increduli negabunt *veriſſimum, certiſſimum, exploratiſſimum omnibus eſſe id, quod ipſi quoque Academici de rebus omnibus dubitantes coacti ſunt confiteri; ſcilicet, omnes beatos eſſe velle; idque unum eſſe, quod diſputatione non egeat, quod nemo eſt, qui non expetat* (*h*): unde & Academicus ipſe Cicero, cum vellet in Hortenſio Dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, ſumere ſuae diſputationis exordium, *Beati certe, inquit, omnes eſſe volumus* (*i*)? Puto, *quod non* ita deſipiant, ſeu verius inſaniant; obruendi profecto totius *humani* generis vocibus, ſi tam evidentem omnibus, tam cuique intimam *veritatem non dico negare auderent, ſed vel tantillum dubiam facere conarentur. Quis enim eſt, qui nolit eſſe beatus? Quis eſt, qui non ſtatim pleniſſima voluntate beatus fieret, ſi poſſet? Nam & qui nolunt ſic vivere, quomodo vivendum eſt, ut beati ſint; ſi interrogentur, utrum velint eſſe beati, quid aliud reſpondebunt, quam ſe in eo ipſo quod agunt, velle gaudere, nec niſi in gaudio* eſſe

(*a*) Vid. S. Aug. L. IV. ad Julian. n. 25. & 26.
(*b*) Vid. S. Aug. L. de Spir. & Lit. n. 44.
(*c*) Vid. S. Aug. ibidem. n. 47.
(*d*) Vid. inf. §§. XC. XCI.
(*e*) Vid. S. Aug. L. VIII. de C.D. c. 3.
(*f*) Vid. S. Aug. L. XIII. de Trinit. n. 7.
(*g*) Vid. S. Auguſt. L. de Natura Bon. c. 7. & L. XII. de C.D. c. 1. n. 3. & L. XIII. Confeſ. num. 9.
(*h*) Vid. S. Aug. L. VI. Oper. imp. c. 26.
(*i*) Vid. S. Aug. Lib. XIII. de Trinit. n. 7.

eſſe vitam beatam? Sic quiſquis libidinibus deditus luxuria ſtupriſque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quaerit, & ſe miſerum putat, cum ad ſuae concupiſcentiae voluptatem, laetitiamque non pervenit; beatum vero non dubitat ſe jactare, cum pervenit. Et quiſquis avaritiae facibus inardeſcit, ad hoc congregat quocumque modo divitias, ut beatus ſit: inimicorum ſanguinem fundere quicumque deſiderat, dominationem quiſquis affectat, crudelitatem ſuam quiſquis alienis cladibus paſcit; in omnibus ſceleribus beatitudinem quaerit. Alius hinc, alius inde enititur: alius hàc, alius illac currit; unum tamen eſt, quò omnes pervenire deſiderant (a). Aliud quidem a vero gaudium plures ſectantur; ab aliqua tamen imagine gaudii voluntas eorum non avertitur (b): & in quantum quiſque non eam tenet vitae viam, quae ducit ad beatitudinem, cum ſe fateatur, & profiteatur nolle niſi ad beatitudinem pervenire, in tantum errat: in quantum autem omnes homines appetunt vitam beatam, non errant (c). Ipſi etiam incredulitatis magiſtri non ne jactant ſe verae philoſophiae principia hominibus tradere, ut liberati, ſicut ipſi quidem ajunt, a ſuperſtitione beatam vitam agant; illud ſcilicet Varronis (d) prae oculis habentes, nullam eſſe homini cauſſam philoſophandi niſi ut beatus ſit?

LXIX. An forte contendent, mentiri omnes homines dum capeſſendae, atque retinendae beatitudinis voluntatem omnes ſe habere dicunt; vel certe verba fundere ſenſu vacua, atque inania: nemo quippe poteſt amare, quod neſcit: ſi autem beatitudinem, quam omnes dicunt ſe amare, omnes noſſent, de ipſa tam magna varietas atque diverſitas ſententiarum profecto non eſſet, quantam revera haberi ex diſſidentibus de hac re Philoſophorum diſputationibus apparet, & nos ipſi paullo antea advertimus (e)? Verum ſi propterea falſum eſt, beate vivere omnes homines velle, quia quae ſit beata vita non omnes norunt; falſum pariter erit homines amare veritatem, amare ſapientiam: non enim, ſi omnes eam noſſent, emerſiſſent tam multae inter ſe diſcrepantes, ſibique invicem etiam adverſantes ſectae Philoſophorum, ideſt hominum profitentium veritatis, & ſapientiae amorem. Itaque beatam vitam omnes quaerunt, ſicut veritatem & ſapientiam; ſed non omnes ibi iſta quaerunt, ubi ſolum poſſunt inveniri. Quid ſit cognitio, quid veritas, quid felicitas, ſeu beatitudo, omnes intelligunt, omnes intime percipiunt; & quidem clarius, quam de iis eloqui poſſint. Eſt enim veritas objectum intellectus, qui nihil percipit, niſi ſub ratione veri, etſi non ſit verum, quod percipit, niſi apparens. Bonum autem objectum eſt voluntatis, quae niſi a bono, ſeu vero, ſeu apparenti moveri, atque allici non poteſt. Ut ergo homines res quaeque maxime delectavit, eam, perverſo licet judicio, exiſtimarunt eſſe hominis optimum, ideſt bonum ſummum, atque in ea conſtituerunt vitam beatam: errantes, non appetendo hanc; ſed alibi, quam ubi eſt, eam quaerendo.

LXX. An denique in mentem cuiquam venire poterit, appetitum beatitudinis, etiamſi ſingulis quibuſque hominibus a natura ipſa ſit inditus, inane

F tamen

(a) Vid. S. Aug. L. III. de Lib. arb. n. 7. Enarrat. in Pſal. CXVIII. Serm. 1. n. 1. & L. X. Confeſ. n. 31.

(b) Vid. S. Aug. cit. L. X. Confeſ. n. 32.

(c) Vid. S. Aug. L. II. de Lib. arb. n. 26.

(d) In Lib. de Philoſophia apud S. Aug. Lib. XIX. de C. D. c. 1. n. 3.

(e) Vid. ſup. §. LXVII.

tamen eſſe phantaſma: neque apte ex eo inferre nos poſſe exiſtere bonum aliquod, cujus poſſeſſione homo efficiatur beatus? Profecto niſi evidentiſſima proferantur argumenta, quibus luce clarius evincatur, appetitum hujuſmodi ferri in rem prorſus chimericam; ſummae ſtultitiae, atque impudentiae foret, judicium arbitrarium uniuſcujuſpiam hominis hoc univerſale omnium hominum deſiderium temere irridentis praeponere judicio omnium Philoſophorum omnis aetatis & nationis; quorum omnium firma & conſtans perſuaſio fuit, doctorum indoctorumque, hoc eſt totius humani generis conſenſione approbata, eſſe aliquod bonum, quod ſi ab homine teneatur, faciat ipſum beatum: qui propterea ad hujuſmodi bonum inveniendum ſtudia omnia ſua converterunt; ne iis quidem exceptis, qui Deum eſſe creatorem, proviſoremque hujus univerſi, imo & exiſtere inficiabantur, omniaque & caſu eſſe producta, & caſu agi regique dogmatizabant; vel qui nihil certo ſciri poſſe, ſed de omnibus eſſe dubitandum aſſerebant. Et certe cum hoc appetant omnes homines, ut beati ſint, omniaque, quae habere volunt, propter hoc unum velint, ut beati ſint, etiam quando ea appetunt, quibus imo a beatitudine receditur (*a*): evidens eſt, quod ſi nullum extaret hujuſmodi bonum, quo poſſet homo beari, non ſolum in ſingulis ſuis appetitionibus deciperetur, & quidem neceſſario; ſed inaniter etiam data ei ratio fuiſſet, cujus officium eſſe debet, ut ſeligat, quibus adjuvetur ad beatitudinem conſequendam, ea reſpuat, quibus in miſeriam inciditur. Quid enim diſcernat, ut ad id perveniat, quod cum exiſtentiam non habeat, perventionis terminus eſſe non poteſt? Omittimus plura alia graviſſima, & honeſtati morum, ipſique etiam civili ſocietati pernicioſiſſima, quae ſponte ſua fluunt abſurda, ſi negetur exiſtere bonum aliquod, cujus adeptione expleri poſſit connatus omnibus hominibus beatitudinis appetitus. Omittimus autem, non ſolum quia pronum eſt illa videre; ſed praeterea, quia neminem novimus, ne ipſos quidem inter incredulos, qui vel non fateatur omnes homines velle eſſe beatos, eumque appetitum a natura ipſa unicuique inſeri; vel auſus fuerit affirmare, chimericum eſſe hujus appetitus objectum, ac negare quod aliquo bono adepto poſſit homo effici vere beatus. Propter illa tamen, quae ex hujuſmodi principiis deducturi jam ſumus ad veritatem Religionis Chriſtianae adverſus Incredulos ſtabiliendam, demonſtrandamque, non inutile reputavimus, evidentiam principiorum, quae aſſumimus, accuratius patefacere.

LXXI. Cum igitur veriſſima haec ſint, & certiſſima apud omnes atque apud ipſos etiam cujuſcumque ſectae incredulos, I. Omnes homines beatos eſſe velle (*b*): II. Hoc beatitudinis deſiderium iiſdem omnibus inditum eſſe a natura (*c*): III. Nec fruſtra naturam hunc homini appetitum inſeruiſſe, ac finem ultimum praeſtituiſſe, ad cujus conſecutionem tenderet, per rationem ſeligendo utilia ab inutilibus & noxiis, ut illius tandem fruitione beatus fiat (*d*): profecto, ſi verum eſt, quod docet Chriſtiana religio, & quidem (*e*) ſola, non alium eſſe poſſe creaturae rationalis finem ultimum, quo beata ſit, niſi Deus; jam talem habebit veritatis caracterem, ut vel hoc ſolo

(*a*) Vid. ſupra §. LXVIII.
(*b*) Vid. ſup. §. LXIX.
(*c*) Vid. ſup. §. LXX.
(*d*) Vid. infra §. LXXVI.
(*e*) Vid. ſup. §. LXVII., & infr. §§. XC., & XCI.

ſolo ceteris quibuſcumque ſive religionibus, ſive ſectis Philoſophorum praeferri omnino mereatur. Quod ſi praeterea ipſa Chriſtiana religio demonſtret viam, qua ad beatitudinem enitendum eſt, & media quibus ad eam perveniatur, neque de veritate ac certitudine viae, atque aptitudine & efficacia mediorum dubium relinquat: certiſſime ſtatuendum erit, ipſam, & quidem ſolam, eſſe veram Religionem, extra quam nemo juſte vivere, nemo beatus effici poſſit.

LXXII. Porro in Deo inveniri omnia, quae requiruntur, ut ſit finis ultimus creaturae rationalis, cujus fruitione efficiatur beata, non operoſum eſt demonſtrare. Etenim (*a*) Finis ultimus, ut ipſa ejus notio manifeſtat, terminus eſt dilectionis, appetitionis, relationis: propter ipſum diliguntur, & appetuntur cetera; ipſe autem non propter aliud, ſed propter ſe & diligitur, & appetitur: ad ipſum proinde omnia referenda ſunt; ipſe autem ad aliud quidpiam non refertur. Jam vero ubi ad id ventum fuerit, quo aliquid melius dari non poteſt; ibi neceſſe eſt habeatur terminus relationis: nec enim invenitur, quò excurrat ultra id quo nihil eſt melius, vel quò referatur rationabiliter operantis intentio: ibi etiam neceſſe eſt ſit requies appetendi & diligendi; quia ultra progredi non poteſt appetitus & dilectio, ubi ad bonum ſummum pervenerit. Deum autem cum dicimus, dicimus bonum ſummum, quo melius, excellentius, ſublimius neque eſſe, neque excogitari a quoquam poteſt. Atque hinc (*b*) quoniam non aliud eſt finis ultimus creaturae rationalis; aliud id, quod ipſam beatam facit: qui enim quaerit, quomodo ad beatam vitam perveniat, nihil aliud profecto quaerit niſi ubi ſit finis boni, hoc eſt ubi conſtitutum ſit non prava opinione atque temeraria, ſed certa atque inconcuſſa veritate ſummum hominis bonum; evidens eſt, Deum, quippe qui poſſit eſſe finis ultimus rationalis creaturae, poſſe utique eamdem beare ſe ipſo. Quod praeterea manifeſtum eſt ex ratione ſummi, perfectiſſimi, infiniti boni, quod Deus eſt. Nam quomodo non ſit beata rationalis creatura, ſi fruatur bono ſummo, bono perfectiſſimo? aut quid in ejus appetitus capacitate vacuum ſupereſſe poteſt, quod non expleatur, ſi bonum poſſideat infinitum?

LXXIII. Ordinatiſſima pariter erit rationalis creatura, ſi ipſius finis ultimus, cujus poſſeſſione beata fiat, ſit Deus. Ordo enim eſt, ubi potiora praecedunt, & meliora deterioribus praeponuntur (*c*). Itaque plane tenetur ordo a creatura rationali, ſi Deus ſit ejus finis ultimus, quo beata ſit. In quadam quippe medietate poſita cum ſit, infra ſe habens corporalem creaturam, ſupra ſe autem Deum; utetur corporali creatura tamquam ſuperior, eamdem convertendo in Deum, cui & ſe ipſam utpote ſuperiori ſubjiciet, ſe ſuaque omnia in eum referens, ad quem tamquam in finem ultimum tendit, ut eo fruatur, ejuſque fruitione ſit beata (*d*). Neque enim metuendum eſt; ne nobis dicatur, hominem, ſi Deum diligendo & appetendo beatitudinem ſuam

 appe-

(*a*) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CXVIII. al. LVI. ad Dioſcorum n. 13.

(*b*) Vid. S. Aug. cit. loc. & L. XIX. de Civit. Dei c. 1. n. 1.

(*c*) Vid. S. Aug. L. de Catechizandis rudibus n. 20. & L. I. de Lib. arb. n. 18. & L. I. de Doctr. Chriſt. n. 28.

(*d*) Vid. S. Aug. L. de Gratia novi Teſtamenti ſeu Epiſt. CXL. al. CXX. ad Honoratum n. 3. & 4.

appetit & diligit, detorquere Deum ad ſe, non ſe referre in Deum. Nam eo ipſo quo hic eſt hominis finis, adhaerere Deo, eoque frui; jam non ſe ipſo ſibi, quaſi ſuo bono gaudet (*a*); nec ſe Deo praeponit, ſed Deum ſibi; ac propter Deum vult habere cetera, etiam ſeipſum (*b*): & prorſus gratis Deum diligit, dum nullo modo mercedem ab eo quaereret, *niſi* merces eſſet ipſe Deus qui amatur (*c*).

LXXIV. Ordinatiſſima pariter hinc profluit virtutum ſeries, quibus hominis mores componantur, totaque vita recte inſtituatur. Si enim Deus ſit *hominis* ſummum bonum, quò referenda ſunt omnia, & cui dilectione ſit inhaerendum; quadripartita illa virtus dirigendae mortali huic vitae, ut ad beatam vitam perveniamus, accommodata, nec fallax erit, nec inanis, nec inflata, ſed ex vario licet, per omnia tamen ordinatiſſimo amoris affectu procedet (*d*); ſive potius erit ipſemet rectus ordo amoris (*e*). *Cum enim* Temperantia ſit amor integrum ſe praebens ei quod amatur: *Fortitudo*, amor facile tolerans omnia propter quod amatur: Juſtitia, amor ſoli amato ſerviens, & propterea recte dominans: Prudentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur ſagaciter ſeligens (*f*); quid in his vanum, quid inflatum, quid quoquomodo a recto ordine devium, ſi amor hic non ſit amor cujuslibet boni, ſed amor Dei, id eſt ſummi boni, ſummae ſapientiae, ſummae veritatis? Nam cum vita beata in eo conſtitui debeat, quod propter ſe diligendum eſt, quia ſi propter aliud diligimus, eo *jam non fruendum* nobis eſſe, ſed utendum judicamus (*g*), quod plane *perverſiſſimum* foret: *profecto* ſi bono ſummo nihil praeponimus vel aequamus, ſed ipſum praeponimus ceteris, ad ipſum omnia referendo, ipſumque propter ſe diligendo, cetera propter ipſum; omnino diligitur, quod diligendum eſt, atque ita, ut diligendum eſt: quod ſane eſt vera virtus, ſive rectus ordo amoris (*h*). Et tanto praeſtantiores erunt in nobis hujuſmodi virtutes; *quanto purior*, & *intenſior* erit amor, quo in Deum, hoc eſt, in ſummum *bonum* tendemus.

LXXV. Denique ſi ultimus finis, & ſummum hominis bonum ſit Deus, hic finis ultimus, hoc bonum ſummum omnibus patet, nemo ab eo repellitur. Ut ad eum tendatur non opus eſt aut optima valetudine, quam ſaepe homines non habent; non acri ingenio, non peritia linguarum, non profunditate ſcientiarum, non divitiarum copia, non ſplendore dignitatum &c., quae quidem paucorum ſunt, neque ſtatim habentur, ac homo ea *vult*: *nullo horum* opus eſt; ſed tantummodo amore, cujus quidem omnes capaces ſunt. In ſe autem bonum hoc, quod eſt Deus, tam magnum eſt, ut omnibus etiam ſimul ad ipſum tendentibus non fiat anguſtum: & cum ſit bonorum ſumma, non ultra quaerendum eſt; quia alterum non eſt. Manifeſtum eſt autem,

(*a*) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CXVIII. al. LVI. ad Dioſcorum n. 15,

(*b*) Vid. S. Aug. cit. Epiſt. CXVIII. n. 13.

(*c*) Vid. S. Auguſt. Serm. CCCXL. al. XXXIX. ex Sirmondianis n. 1. Vid. & ſup. §. LXIV.

(*d*) Vid. S. Auguſt. L. de Morib. Eccleſ. Catholicae n. 25.

(*e*) Vid. S. Auguſt. L. XV. de C.D. c. 22.

(*f*) Vid. S. Aug. cit. Lib. de Morib. Eccleſ. Catholicae n. 25. & Epiſt. CLV. al. LII. ad Macedon. num. 13.

(*g*) Vid. S. Aug. L. I. de Doct. Chriſtian. n. 20.

(*h*) Vid. S. Aug. Epiſt. CXXXVII. al. III. ad Voluſianum n. 17. & cit. Epiſt. CLV. ad Macedonium n. 13.

tem , quod finis ultimus , & bonum ſummum hominis tale eſſe debeat , quod omnibus pateat , omnibus ſufficiat , omnibus ſit unum ; nihilque praeter ſe deſiderandum homini expetendumque relinquat .

LXXVI. Sed an ficut Deus poteſt eſſe ultimus rationalis creaturae finis , quo beata ſit ; ita ſoli Deo convenit hujuſmodi ratio: an praeter ipſum eſt aliquid aliud , in quo poſſit finis boni conſtitui ? Nempe ſi in aliqua alia re poſſit finis boni conſtitui , vicerunt increduli ; ſi autem ſolum in Deo , nec alibi praeter ipſum , vicimus incredulos . Res igitur haec eſt diligenter expendenda , & ad liquidam veritatem perducenda . Prius itaque attendamus , utrum adquieſcendum ſit eis qui dicunt , eum beatum eſſe qui ſecundum ſuam vivit voluntatem . Equidem beatus non eſt , qui non habet omnia , quae vult, nec proinde vivit , ut vult (a). Sed abſit ut hoc de omnibus verum eſſe credamus . Quid ſi enim nequiter velit vivere ? Nonne tanto miſerior eſſe convincitur , quanto facilius mala ejus voluntas impletur ? Merito hanc ſententiam etiam ipſi , qui ſine cultu veri Dei philoſophati ſunt , reſpuerunt . Nam quidam eorum vir eloquentiſſimus (b) ait, = Ecce autem alii non Philoſophi quidem , ſed prompti tamen ad diſputandum , omnes ajunt eſſe beatos qui vivunt , ut ipſi velint . Falſum id quidem . Velle enim quod non deceat , idem ipſum miſerrimum eſt: nec tam miſerum eſt non adipiſci quod velis , quam adipiſci velle , quod non oporteat = (c) . Praeclariſſime omnino , atque veriſſime . Quis namque ſit ita mente caecus , & ab omni luce decoris alienus , ac tenebris dedecoris involutus , ut eum , qui nequiter vivit ac turpiter , & nullo prohibente , nullo ulciſcente , & nullo ſaltem reprehendere audente , inſuper & laudantibus plurimis , implet omnes ſuas facinoroſiſſimas , & flagitioſiſſimas voluntates , ideo beatum dicat , quia vivit , ut vult : cum profecto quamvis & ſic miſer ſit , minus tamen eſſet , ſi nihil eorum , quae perperam voluiſſet , habere potuiſſet ? Etiam mala enim voluntate , vel ſola , quiſque miſer efficitur ; ſed miſerior poteſtate , qua deſiderium malae voluntatis impletur (d) .

LXXVII. An ergo ſaltem ille beatus eſt , qui omnia , quae vult , habet , nec aliquid vult , quod non deceat ? Nemo plane beatus , niſi qui & habet omnia quae vult , & nihil vult male . Sed numquid omnis ejuſmodi continuo beatus eſt ? Si ita eſt , videamus jam , quae homines non indecenter velint . Alius conjugio viduatus deinceps continenter eligit vivere , alius nullum concubitum nec in ipſis nuptiis experiri . Et ſi aliud hic alio melius reperitur , nullum tamen iſtorum poſſumus dicere indecenter aliquid velle . Sic & optare filios , nuptiarum ſcilicet fructum , & eis , qui ſuſcepti fuerint vitam & ſalutem ; quo voto plerumque occupatur etiam continentia vidualis ; nam etſi ſpreto conjugio jam non optant etiam filios procreare , optant tamen quos procreaverunt incolumes vivere . Ab hac omni cura immunis eſt virginalis integritas . Habent tamen omnes caros , & caras , quibus non indecenter optent etiam corporalem ſalutem . Sed cum iſtam ſalutem in ſe ipſis , & in eis ,

(a) Vid. S.Aug. L. XIII. de Trinit.n.8. & L. de Morib. Eccleſiae Cathol. n.4.
(b) Cicero in Hortenſio.
(c) Vid. S. Aug. Epiſt. CXXX. al.CXXI. ad Probam num. 10. Vid. & ejuſd. L. de Beata-Vita n.10.
(d) Vid. S. Aug. L. XIII. de Trinit. n.8.

eis, quos diligunt adepti homines fuerint; num poterimus eos dicere jam beatos? Quis ita deſipiat? Habent utique aliquid quod non dedecet velle: ſed ſi alia non habent majora, atque meliora, & utilitatis decoriſque pleniora, adhuc a beata vita longe abſunt. Super ſalutem iſtam temporalem addatur, ſi placet, ſufficientia & ſibi & ſuis rerum neceſſariarum, quam quidem non indecenter vult, quiſquis vult: addantur item honores, & poteſtates, quae ſi ut per hoc conſulant eis, qui vivunt ſub eis, *hoc eſt non* propter haec ipſa, ſed propter aliud quod inde fit bonum appetuntur, decet ea velle: Hoccine totum, & haec ſunt omnia, quibus beatae ſumma vitae colligitur (*a*)?

LXXVIII. Scilicet non eſt quiſquam beatus, qui non fruitur eo, quod eſt hominis optimum (*b*). Non ſolum quia quod eſt hominis optimum omnino eſt appetendum, imo ceteris bonis quibuſcumque praeferendum; ut proinde qui inferiori alio bono contentus eſſet, nec illud appeteret, quod eſt hominis optimum, aegrotare cenſendus eſſet, quia non appeteret, quod appetendum, & adipiſcendum eſt; quae ſane aegritudo contingere animo non poteſt ſine miſeria; miſeria autem, & beatitudo in uno homine ſimul eſſe non poſſunt (*c*). Sed praeterea quia ſolum illud bonum, quod ſit hominis optimum, poteſt habere rationem finis ultimi, ut ſcilicet non ſit aliud ultra quod excurrere poſſit rationalis appetitus, & rationabiliter operantis intentio; ſitque ſecundum rectam rationem appetendum propter ſe ipſum, non ad aliud quidpiam referendum (*d*); ſolum etiam eſt, quod poſſit totam rationalis creaturae capacitatem fruendi implere: cetera quaecumque bona non niſi illius capacitatis partem aliquam aequare poſſunt; illius enim boni quod eſt ſibi optimum, capax eſt rationalis creatura; aliàs in ſe quidem eſſet bonum illud optimum, ſed non eſſet tale creaturae rationali, quae fruendi illo capax non eſſet: ſolum itidem eſt, quod totam ſibi ſubdat potentiam voluntatis, dum ſcilicet totam complet appetendi facultatem. Quibuſcumque igitur bonis aliis fruatur rationalis creatura, ſi non illo fruitur quod eidem eſt optimum, ſatiari non poterit, & irrequietum erit cor ejus, ac de deſiderio in deſiderium defluet: ac mutabilis cum ſit reſpuet paullo poſt, quod antea ardentiſſime diligebat, idque appetet, cujus nulla pridem cupiditate tenebatur: in electione ſiquidem particularium bonorum ſicut manet indifferentia judicii, ita manet indifferentia arbitrii, quod huc, atque illuc liberrimum flectitur.

LXXIX. Sequitur, ut quaeramus quid ſit hominis optimum, quod profecto deterius eſſe, quam ipſe homo, non poteſt. Quiſquis enim quod ſe ipſo eſt deterius ſequitur, fit & ipſe deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum eſt ſequi. Qui enim vult beatus fieri, melior utique fieri vult, quam eſt: fieri autem non poteſt, ut res homine deterior faciat eum meliorem. Non eſt igitur homine deterius hominis optimum, ad quod perveniſſe, id ei eſt beatum eſſe (*e*). Jam vero aurum, argentum, quaelibet corpora, quibus inhiat homo adquirendis, poſſidendis, fruendis, inferiora ſunt ipſo

(*a*) Vid. S. Auguſt. cit. Epiſt. CXXX. al. CXXI. ad Probam, n. 11. 12. 14.

(*b*) Vid. S. Auguſt. L. de Morib. Eccleſ. Catholicae num. 4.

(*c*) Vid. S. Auguſt. ibidem.

(*d*) Vid. ſup. §. LXXII.

(*e*) Vid. S. Aug. cit. L. de Morib. Eccleſ. Cathol. n. 5. & Enar. III. in Pſal. XXXII. n. 15.

ipſo homine; quidquid quaeſierit in terra deterius ipſo eſt: pompa etiam ſaeculi, & honore volatico, ac perituro melior, & potior eſt homo. Nullo igitur horum, quae ſunt extra hominem, cum ſint homine deteriora, poteſt homo effici beatus (*a*). Unde & haec etiam veteribus Philoſophis conſentientibus (*b*), non appetuntur propter ſe, ſed propter aliud, quod iis omnibus praefertur. Quis enim eſt, ut nihil aliud interim dicamus, qui non mallet, ſi optio daretur, carere auro, praediis, fundis, mancipiis, quam vita? Denique quomodo poſſunt illa omnia efficere hominem beatum, cum nequeant ipſum efficere nec ſapientem, nec juſtum?

LXXX. Adhuc igitur quaeramus, quid ſit hominis optimum. Certe cum homo conſtet anima & corpore, ſi in iſta vita eſt finis boni, ponendum erit ſummum bonum ſive in corpore, ſive in animo, ſive in utroque. Erit proinde ſummum hominis bonum vel in voluptate, qua delectabiliter movetur corporis ſenſus; aut in quiete, qua fit, ut nullam moleſtiam quiſque corporis patiatur; ſi videlicet finis boni ſit in corpore: aut potius in voluptate ſimul & quiete, quam utramque uno nomine voluptatis Epicurus appellat. Erit autem ſummum hominis bonum in ſenſu & intellectu propter comprehenſionem veritatis, ſi in animo conſtituendus ſit finis boni. Quod ſi poni debeat in animo & corpore ſimul; ſummum hominis bonum erunt ea, quae veteres appellarunt primigenia naturae; in quibus & illa ſunt, quae ſupra memoravimus, & alia vel in corpore, ut membrorum integritas, & ſalus atque incolumitas ejus; vel in animo, ut ſunt ea, quae vel parva, vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. Vel certe ſummum hominis bonum erit virtus, quae licet non ſit inter prima naturae, quoniam eis poſtea accedente doctrina, atque inſtitutione ſupervenit, ad animum tamen pertinet, & valet etiam ad corpus regendum. Aut denique finis boni erit in ipſa virtute, non quidem ſola, ſed conjuncta cum primigeniis naturae (*c*). Eligant iſtorum quodlibet velint increduli: nam praeter iſta aliud invenire non poſſunt, in quo finem boni in hac vita conſtituant, niſi illum, quem ponit Chriſtiana religio, ſcilicet Deum, cui caſto amore adhaereat in hac vita rationalis creatura, ut illo in altera inamiſſibiliter perfruatur. Sed quodlibet iſtorum elegerint, apparebit, quam recte ſcriptum ſit in ſacris Chriſtianorum Libris (*d*), Novit Dominus cogitationes hominum, vel ficut hoc teſtimonium poſuit Apoſtolus (*e*), Dominus novit cogitationes Sapientium (Philoſophorum ſcilicet hujus mundi, qui ſe dicunt eſſe Sapientes), quoniam vanae ſunt.

LXXXI. Placetne igitur illis, ut voluptas ſit appetenda per ſe ipſam; cetera, ipſaeque etiam virtutes propter ipſam? Sed meminerint, Philoſophos, qui finem boni humani in ipſa virtute conſtituunt, ad ingerendum pudorem iis, qui virtutes quidem probant, ſed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, conſueviſſe, teſte Cicerone (*f*) tabulam quamdam verbis pingere, ubi voluptas in ſella regali quaſi delicata quaedam regina conſidat, eique virtu-

tes

(*a*) Vid. S. Aug. Enarrat. III. in Pſalm. XXXII. num. 15.

(*b*) Vid. S. Aug. L. VIII. de C.D. c. 8.

(*c*) Vid. S. Auguſt. L. XIX. de Civit. Dei c. 1. num. 2. & c. 3. num. 1.

(*d*) Pſal. XCV. 11.

(*e*) I. Cor. III. 20.

(*f*) L. II. de Finibus apud S. Auguſt. L. V. de Civit. Dei c. 20.

tes famulae ſubjiciantur, obſervantes ejus nutum, ut faciant, quod illa *imperaverit*: quae prudentiae jubeat, ut vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, & ſalva ſit; juſtitiae jubeat, ut praeſtet beneficia, quae poteſt, ad comparandas amicitias corporalibus commodis neceſſarias, nullique faciat injuriam, ne offenſis legibus voluptas vivere ſecura non poſſit: fortitudini jubeat, ut ſi dolor corpori acciderit, qui non compellat *in mortem*, teneat dominam ſuam, ideſt voluptatem, fortiter in *animi* cogitatione, ut per priſtinarum deliciarum ſuarum recordationem mitiget praeſentis doloris aculeos: temperantiae jubeat, ut tantum capiat alimentorum, & ſi qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas, quam etiam in corporis ſanitate Epicurei maximam ponunt, graviter offendatur: atque ita virtutes cum tota ſuae gloriae dignitate tamquam imperioſae cuidam, & inhoneſtae mulierculae ſerviant voluptati. Qua quidem pictura nihil eſt ignominioſius ac deformius, & quod *minus ferre* bonorum poſſit adſpectus. Quod ſi nihilominus nullo hinc pudore ſuffunduntur increduli; attendant ſaltem nullo modo poſſe eſſe hominis bonum, quod non facit hominem bonum (*a*). Niſi forte ita caecitas mentis eorum occalluit, ut omnia, quae habent, velint bona habere non mala, praeter ſeipſos (*b*). Uſque adeo autem voluptas ſenſuum non facit hominem bonum, ut ea fruantur & mali, & quantumlibet illa minuatur non tamen bona, & juſta vita minuitur, ſed retinetur, aut etiam augetur, ſi jam erat; aut acquiri poteſt, & quandoque acquiritur, ſi non erat. Rurſus attendant, *quod cum ſola* creatura rationalis ſit beatitudinis capax (*c*), quia ſcilicet ſola eſt particeps rationis, qua & finis ultimus intendatur, & media ſeligantur ad ejus conſecutionem, & eo adepto laetetur de veritate; fieri nullo modo poteſt, ut id ſit ſummum hominis bonum, quod eſt bonum pecoris: quid porro pecori bonum eſt, niſi implere ventrem, carere indigentia, dormire, *geſtire*, ſanum eſſe, generare (*d*)? Attendant denique, quomodo poſſit *voluptas ſenſuum eſſe* ſummum hominis bonum quo beatus ſit, quando ne *moleſtia* creetur, ipſaque eadem offendatur voluptas, temperandum ſaepe ſit ab ejus fruitione, & cohibendi ſenſus atque animus, ne voluptati, quantum inhiant, indulgeant? Haeccine eſt notio beatitudinis? An potius eo nomine ille hominis ſtatus deſignatur, quem qui fuerit adeptus caſtiſſime adhaereat magno cuidam *bono*, quo non corrumpatur, ſed eo delectetur nullo defectu, nulla *moleſtia* (*e*)?

LXXXII. Sed neque in quiete corporis, qua ſit, ut nulla *moleſtia ſentiatur* in corpore, conſiſtit ſummum hominis bonum. Habent hanc quietem & mali, habent imo & pecora (*f*). Denique ſi, incolumi corpore, careat homo & ſapientia, & virtutibus; vel ſi de male moratis filiis, de amiſſione carorum, de praevalente adverſum ſe calumniarum atrocitate, aemulorum potentia &c. quotidianas habeat moeroris & triſtitiae cauſſas, quis ſanae mentis

(*a*) Vid. S. Aug. Serm. CCCXLIII. al. II. inter editos ex MSS., Carthuſiae Majoris, n. 9.

(*b*) Vid. S. Aug. Serm. CCCXXXIX. al. XXV. ex L. Homiliis n. 5.

(*c*) Vid. S. Auguſt. Lib. IX. de C.D. c. 13. n. 1. & Lib. de Natura Boni c. 7.

(*d*) Vid. S. Aug. Enarrat. in Pſal. CII. n. 8.

(*e*) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CLV. al. LII. ad Macedonium n. 12. L. XIV. de Trinit. n. 12.

(*f*) Vid. S. Aug. Tract. XXXII. in Joan. num. 9.

Digitized by Google

tis beatum illum, quod viribus corpori valeat, quod nulla in corpore moleſtia afficiatur, praedicabit, cum non utique vivat, ut vult (a)?

LXXXIII. An forte, quoniam nec in voluptatibus ſenſibilibus (b), neque in quiete (c), ſive ut quidam noſtrorum (d) vocavit, indoloria corporis poteſt beatitudo hominis collocari, ſitam eam in ſenſu, atque intelligentia dicemus propter veritatis comprehenſionem? Sed ut cetera omittamus, quae multa adverſus iſtam congeri poſſunt opinionem; quaenam quaeſo poteſt eſſe hominis etiam Sapientis beatitudo in hac aerumnoſa vita, in his moribundis membris, ſub hac ſarcina corruptibilis corporis? Equidem Cicero (e) cum de caecitate corporis ageret, affirmavit etiam caecum beatum eſſe poſſe Sapientem, multaque enumeravit, quae per aures percipiendo gauderet: itemque ſi ſurdus eſſet, ea, quibus oblectaretur, ad oculos tranſtulit. At ſi utroque ſenſu Sapiens orbaretur, & caecus ſurduſque fieret; non eſt auſus hinc ferre ſententiam, eumque beatum dicere: ſed addidit, quod ſi doloribus graviſſimis corporis cruciaretur, qui eum non interimerent, ipſe ſe interimat, & ad portum non ſentiendi hac liberatus virtute perveniat. Ecce in atrociſſimis cruciatibus corporis, aut amiſit beatam vitam, qui tamen nec ſapientiam, in qua ſecundum iſtos beatitudo eſt, nec ſenſum, intelligentiamve, quae duo propter ſapientiam ſunt, amiſit; aut ſi in iſtis afflictionibus adhuc beata eſt (Quis autem talem beatitudinem ſibi optet?) ſit per hujuſmodi Philoſophorum diſputationes, ut ſit aliquando beata vita, quam Sapiens ferre non poſſit; vel, quod eſt abſurdius, quam Sapiens ferre non debeat, eamque fugiat, abrumpat, abjiciat, ſeſeque ab ea ferro etiam, aut veneno, vel alia voluntaria morte ſubducat, ut in portu non ſentiendi vel nullus omnino ſit, quod Epicurei, & alii ſimili ſtultitia putaverunt, & non pauci recentium Incredulorum putant; vel ideo beatus, quoniam fuerit ab illa beata vita, tamquam ab aliqua peſte liberatus (f).

LXXXIV. Non abſimili ratione evincitur ſummum hominis bonum, hoc eſt ejus beatitudinem in ſola non poſſe virtute conſtitui. Quis enim velit pati moleſtias, quas fortiter toleret, quamvis eas velit, poſſitque tolerare ſi patitur? Quis velit in tormentis vivere, etiam qui poteſt in eis per patientiam tenendo juſtitiam laudabiliter vivere? Tranſitura cogitaverunt haec mala, qui ea pertulerunt vel cupiendo habere, vel timendo amittere, quod amabant ſive nequiter, ſive laudabiliter. Ex quibus qui per tranſitoria mala ad bona permanſura fortiter tetenderunt, ſpe quidem beati erant, etiam cum erant in tranſitoriis malis, per quae ad bona non tranſitura perventuri erant. Sed profecto, qui ſpe beatus eſt, nondum beatus eſt; expectat namque per patientiam beatitudinem, quam nondum tenet. Qui vero ſine ulla ſpe tali, ſine ulla tali mercede cruciatur, non eſt veraciter beatus, ſed miſer fortiter. Neque enim propterea miſer non eſt, quia miſerior eſſet, ſi etiam impatienter miſeriam ſuſtineret. Illud enim, quod ſapienter dixit Terentius

(a) Vid. S. Auguſt. L. XIII. de Trinit. n. 10. & ſup. §. LXXVI.
(b) Vid. ſupra §. LXXXI.
(c) Vid. ſupra §. LXXXII.
(d) Vid. S. Auguſt. L. de Morib. Eccleſ. Cathol. num. 7.
(e) Lib. V. Tuſculan. Quaeſt.
(f) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CLV. al. LII. ad Macedonium num. 3.

tius (*a*), = Quoniam non poteſt id fieri, quod vis, id velis, quod poſſis =, commode quidem dictum eſſe quis negat? Sed conſilium eſt datum miſero, ne eſſet miſerior. Beato autem, quales ſe eſſe omnes volunt, non recte nec vere dicitur, Non poteſt fieri, quod vis. Si enim beatus eſt, vivit ut vult (*b*); proinde quidquid vult fieri poteſt, quia non vult quod fieri non poteſt (*c*).

LXXXV. Ex his jam ſequitur non ſolum voluptates ſenſuum, aut *quietem* ſive indoloriam corporis, non debere per ſe appeti, ſed *neque ſapientiam*, & virtutem: cum nihil horum eſſe poſſit ſummum hominis bonum, *quod* ſolum eſt propter ſe, non propter aliud appetendum. Quo loco caveant increduli, ne in ſui patrocinium advocent graviſſimum illum ex noſtris Doctorem S. Auguſtinum; quaſi ſcilicet virtutem per ſe eſſe appetendam aliquando conſenſerit. Nam de trigeſima prima quaeſtione inter LXXXIII, ubi, enumeratis *n.* 1. virtutibus, ſubditur *n.* 2., ea omnia *propter ſe ſolum*, ut nihil emolumenti adjungatur, eſſe petenda, ſcribit in Retractationibus S. Doctor (*d*), = Nec ipſa mea eſt, ſed Ciceronis: verum quia & haec per me innotuit fratribus, inter iſta quae colligebant ſcripſerunt eam, volentes noſſe, quemadmodum virtutes animi ab illo diviſae, ac definitae ſint =. Neque pariter ex propria ſententia loquutus eſt in decimonono libro de Civitate Dei, ubi capite 3. ſimilia leguntur de virtute propter ſe ipſam appetenda; ſed Varronis ſententiam eum ibi referre ipſe illius capitis titulus oſtendit. Quam tamen Varronis ſententiam S. Doctor reprobat *tum proximo cap.* IV. n. 5. ſcribens, quod = Si verae virtutes ſunt; *niſi in eis, quibus vera ineſt* pietas, eſſe non poſſunt =; tum apertius cap. XXV. ejuſdem Libri, ubi ait, = *Li*cet a quibuſdam tunc verae & honeſtae putentur eſſe virtutes, cum ad ſe ipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatae ac ſuperbae ſunt; & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt =.

LXXXVI. Reſtat, ut videamus, an illa *vita*, quae virtute, & aliis animi, & corporis bonis fruatur, beata dicenda ſit. Verum virtutes ipſae, quibus hic certe nihil melius, atque utilius in *homine* reperitur, quanto majora ſunt adjutoria contra vim periculorum, laborum, dolorum, tanto fideliora ſunt teſtimonia miſeriarum (*e*). Quid enim hic agit virtus, niſi perpetua bella cum vitiis, nec exterioribus, ſed interioribus, nec alienis, ſed plane noſtris, & propriis; maxime illa, quae Temperantia nominatur, qua carnales frenantur libidines, ne in quaeque flagitia mentem conſentientem trahant? Neque enim nullum eſt vitium, cum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, cui vitio contraria virtus eſt, qua ſpiritus concupiſcit adverſus carnem. Haec enim invicem adverſantur, ut non ea quae volumus faciamus. Quid autem facere volumus, cum perfici volumus finem ſummi boni, niſi ut caro adverſus ſpiritum non concupiſcat, nec ſit in nobis hoc vitium, contra quod ſpiritus concupiſcat? Quod in hac vita, quamvis velimus, quoniam facere non valemus, enitendum ſaltem, ne carni concupiſcenti adverſus ſpiritum ſpiritu ſuccumbente cedamus, & ad perpetrandum peccatum noſtra conſenſione pertrahamur. Abſit autem ut, quamdiu in hoc bello inteſtino ſumus,

jam

(*a*) In Andr. Scen. 1. act. 2.

(*b*) Vid. ſupra §. LXXVI.

(*c*) Vid. S. Aug. Lib. XIII. de Trinit. n. 10.

(*d*) Lib. I. c. 26.

(*e*) Vid. S. Aug. Lib. XIX. de C. D. c. 4. n. 5.

jam nos beatitudinem, ad quam vincendo volumus pervenire, adeptos eſſe credamus. Quid illa virtus, quae Prudentia dicitur? Nonne tota vigilantia ſua bona diſcernit a malis, ut in illis appetendis, iſtiſque vitandis nullus error obrepat? Ac per hoc & ipſa nos in malis, vel mala in nobis eſſe teſtatur. Ipſa enim docet nos, malum eſſe ad peccandum conſentire libidini, bonumque eſſe non conſentire: illud tamen malum, cui non conſentire docet prudentia, facit temperantia, nec prudentia nec temperantia tollit huic vitae. Quid Juſtitia, cujus munus eſt ſua cuique tribuere, unde fit in ipſo homine quidam juſtus ordo naturae, ut anima ſubdatur Deo, & (propter Atheos, qui Deum negant) animae ſubdatur caro; nonne demonſtrat in eo ſe adhuc opere laborare potius, quam in hujus operis jam fine requieſcere? Non ſolum enim tanto minus anima ſubditur Deo, quanto minus Deum in ipſis ſuis cogitationibus concipit, cujus quidem ſubjectionis debitum ſoli irrident Athei; ſed praeterea (quod nec iſti negare poſſunt poſtulari ab ordine naturae) tanto minus animae ſubditur caro, quanto magis adverſus ſpiritum concupiſcit. Quamdiu ergo nobis ineſt haec infirmitas, haec peſtis, hic languor; quomodo nos jam ſalvos: & ſi nondum ſalvos, quomodo jam beatos illa finali beatitudine dicere audebimus? Jam vero illa virtus, cujus nomen eſt Fortitudo, in quantacumque ſapientia evidentiſſima teſtis eſt humanorum malorum, quae compellitur patientia tolerare. Quae mala Stoici mirum qua fronte mala non eſſe contendant, quibus fatentur (*a*), ſi tanta fuerint ut ea Sapiens vel non poſſit vel non debeat ſuſtinere, cogi eum, mortem ſibimet inferre, atque ex hac vita migrare (*b*).

LXXXVII. Quid igitur, inquies: in eo qui beatitudinem fuerit adeptus non erunt virtutes animi, ſine quibus ceteroquin quamvis multa ſint bona, non bono ejus ſunt, cujus ſunt, quia bonis illis homo non recte utitur, niſi virtute? Abſit ut ſine virtute eum, qui beatus ſit, eſſe dicamus. Sed una in beatitudine virtus erit, & id ipſum erit virtus, praemiumque virtutis; ſcilicet fruendo adhaerere ſummo bono (*c*). Virtutes autem illae quatuor, quas diximus noſtrarum teſtes eſſe miſeriarum (*d*), pertinent ad agendum vitam bonam, qua perveniatur ad vitam beatam; non vero pertinent ad fruendum ipſa vita beata. Sunt illae hic nobis neceſſariae, ne inter tot adverſa ſuccumbat animus, & rapiatur ad vitia. Nam Prudentia non eligit quid ſequatur, niſi in adverſis: Temperantia amorem non avertit, niſi in adverſis: Fortitudo non tolerat, niſi in adverſis: Juſtitia non appetit aequari beatiſſimis animis, & inferioribus dominari, niſi in adverſis; ideſt nondum aſſequuta idipſum, quod appetit (*e*). Prudentia enim dicitur, qua dignoſcimus inter bonum & malum: Temperantia dicitur, qua libidines refrenamus: Fortitudo dicitur, qua omnia moleſta toleramus: Juſtitia dicitur, qua ſua cuique tribuimus; nemini quidquam debentes, ſed omnes diligentes (*f*). In beatitudine autem nulla mala fingi poſſunt, nulla adverſa, quae occurrant. Non itaque ibi, ut

 etiam

(*a*) Apud Ciceron. L. III. de Finibus & Lib. I. Tuſculan. Quaeſt.

(*b*) Vid. S. Auguſt. cit. Lib. XIX. de C.D. c. 4. num. 3. & 4.

(*c*) Vid. S. Aug. Epiſt. CLV. al. LII. ad Macedonium n. 12.

(*d*) Praecedenti §. LXXXVI.

(*e*) Vid. S. Aug. L. VI. de Muſica n. 51.

(*f*) Vid. S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. LXXXIII. num. 11.

etiam Tullius ajebat in Hortenſio Dialogo diſputans, Fortitudine egebimus, nullo propoſito aut labore, aut moleſtia; nec Juſtitia, cum ſit nihil quod appetatur alieni; nec Temperantia, quae regat eas, quae ibi nullae eſſe poſſunt libidines; nec Prudentia quidem, nullo propoſito delectu bonorum & malorum (*a*). Quod ſi nihilominus placeat quatuor illas virtutes in beatitudine ponere, quia intelligere non valemus, quomodo *videri bonum* animae & ſciri poſſit, ſi Prudentia non eſt; & quomodo *poſſit quis eſſe* rectus ſine Juſtitia; & quomodo amorem ſuum figere in bono, *ne ultra* delectetur ab eo diſcedere, ſine Temperantia; nec potentiam quamdam ſtabilem gerere, ſine Fortitudine (*b*): certe non ſic cogitentur hujuſmodi virtutes in beata vita, quales modo ſunt nobis neceſſariae ad bonam vitam. Non iſta ibi erit Prudentia, ubi nulla mala occurſura ſunt quae *vitemus*: non iſta Juſtitia, ubi nulla erit cujuſquam indigentia, cui ſubvenire *debeamus*: non iſta Temperantia, ubi nulla erit libido refrenanda: non iſta Fortitudo, ubi *nulla* erunt mala toleranda (*c*). Ab his virtutibus hujus actionis ibimus in virtutem illius contemplationis, qua fruamur bono ſummo (*d*). Beatitudo quippe perventio eſt ad ſummum bonum, cui adhaerere, eoque frui, eſt finis noſtri boni. Dicatur haec & Prudentia; quia proſpectiſſime adhaerebit bono, ubi non fallatur: & Fortitudo; quia firmiſſime adhaerebit bono, unde non avellatur: & Temperantia; quia caſtiſſime adhaerebit bono, ubi non corrumpatur: & Juſtitia; *quia rectiſſime* adhaerebit bono, cui merito ſubjiciatur (*e*). Haec contemplatio, *ſanctificatio*, *impaſſibilitas*, ordinatio hominis beatitudinem adepti, aut *illae* ſunt quatuor virtutes perfectae, atque conſummatae, ut (*f*) quae hic ſunt in actu, ibi ſint in effectu; quae hic in opere, ibi in mercede; quae hic in officio, ibi in fine: aut pro iſtis virtutibus, quibus conſtituta in laboribus utitur anima, tales quaedam potentiae in beata ei vita ſperandae ſunt (*g*). Ut proinde nec ſine virtute ſit beatitudo; nec ſentiat ullam pugnam, *ullamve moleſtiam*, qui fuerit beatitudinem adeptus: quam pugnam, *moleſtiamve ſi experiretur*; cum quibuslibet virtutibus, non beatum eum, ſed miſerum eſſe nulla ſana ratio dubitaret (*h*).

LXXXVIII. Cum itaque beatum efficere hominem nequeant, aut divitiae, aliaque ejuſmodi exteriora temporalia bona (*i*); neque ſenſuum voluptates (*k*), vel quies vel optima valetudo corporis (*l*); neque ſenſus & intelligentia, quae ſunt bona animi propter perceptionem ſapientiae (*m*); neque *ſupervenientes* eidem animo virtutes (*n*); neque horum plura; aut etiam haec omnia ſimul (*o*): manifeſte apparet, quod Deus, ſicut poteſt habere (*p*), ita etiam habet, & ſolus

(*a*) Vid. S. Aug. L. XIV. de Trinit. n. 12.

(*b*) Vid. S. Auguſt. Lib. VI. de Muſica num. 52. 53. 54.

(*c*) Vid. S. Auguſt. cit. Enarrat. in Pſal. LXXXIII. n. 11.

(*d*) Vid. S. Auguſt. ibidem.

(*e*) Vid. S. Aug. cit. Epiſt. CLV. al. LII. ad Macedon. num. 12.

(*f*) Vid. S. Aug. ibid. n. 16.

(*g*) Vid. S. Aug. L. VI. de Muſica n. 55.

(*h*) Vid. S. Aug. cit. ſup. n. 16. Epiſt. CLV. al. LII. ad Macedon.

(*i*) Vid. ſup. §. LXXIX.

(*k*) Vid. ſup. §. LXXXI.

(*l*) Vid. ſup. §. LXXXII.

(*m*) Vid. ſup. §. LXXXIII.

(*n*) Vid. ſup. §. LXXXIV.

(*o*) Vid. ſup. §. LXXXVI.

(*p*) Vid. ſupra §§. LXXII, LXXIII. LXXIV, & LXXV.

ſolus habet rationem ultimi finis reſpectu naturae rationalis. Et quid mirum? Nam cum ille, qui beatus efficitur, utique melior efficiatur quam erat; nequeat autem melior fieri, niſi acceſſione boni melioris (*a*); ecquidnam eſt melius creatura rationali, niſi Deus? Nam quamdiu quaerimus, quid in homine ſit melius corpore ejus, invenimus animam; melius eſt enim quod vivificat, quam id, quod vivificatur; corpus autem ab anima vivificari, non a corpore animam, nemo ambigit (*b*). Cum autem quaerimus, quid ſit anima melius (quoniam (*c*) anima enm beata eſt non ſuo bono beata eſt, alioquin numquam miſera eſſet, nec beata fieri appeteret, dum ſeipſa jam beata exiſteret); non aliud occurrit, niſi Deus.

LXXXIX. Viderunt id, qui inter veteres Philoſophos eminuerunt, Platonici. Ipſorum quippe ſententia fuit, unum atque ſummum bonum noſtrum Deum eſſe, propoſitum animo humano ad fruendum purgato ab omni labe terrenarum cupiditatum; in quo uno adquieſcat omnis beatitudinis appetitus, & in quo nobis uno bonorum omnium ſit finis (*d*): adeo ut beatus animus eſſe non poſſit, niſi objecto quodam lumine, quod illis Deus eſt, a quo illuſtretur ut clareat, atque ejus participatione perfectus beatuſque ſubſiſtat, eidemque puritate caſti amoris adhaereat (*e*). Unde & illud memoratur (*f*) egregium dictum Plotini inter Platonicos excellentiſſimi, = Fugiendum eſt ad cariſſimam Patriam, & ibi Pater, & ibi omnia. Quae igitur claſſis aut fuga? Similem Deo fieri =. Eidemque ſententiae adhaeſit fortaſſe Tullius & ipſe Academicus, ubi in Hortenſio Dialogo diſputans, poſtquam in hac tantum vita, quam videmus aerumnis & erroribus plenam, Prudentiae, Juſtitiae, Fortitudinis, Temperantiae, neceſſarias dixiſſet eſſe virtutes, nullam vero earum, cum ex hac vita emigraverimus, ſi contigerit ibi vivere, ubi vivitur beate; ſecutus adjunxit, = Una igitur eſſemus beati cognitione naturae & ſcientia =. Si videlicet naturae nomine, cujus cognitione & ſcientia, hoc eſt, contemplatione beatos nos futuros aſſeruit, eam naturam intellexerit, qua nihil eſt melius, nihil amabilius, id eſt Divinam (*g*). Nam ſi naturae nomine illam rerum mutabilium hujus univerſitatis intellexit; profecto non aliam hominis beatitudinem cogitavit, quam quae a Naturaliſtis modo confingitur.

XC. Neque tamen propterea minus verum eſt, quod ſupra aſſeruimus (*h*), ſolam eſſe Chriſtianam Religionem, quae finem ultimum hominibus praeſtituat ipſum Deum. Nam ut nihil dicamus de Cicerone, qui utrum ad hanc beatam vitam, quam in naturae contemplatione conſtituit, animus a corpore ſeparatus perventurus ſit dubitare videtur eodem ipſo in loco, ubi veram beatitudinem indicat, ſcribens, = Si nobis cum ex hac vita emigraverimus in beatorum inſulis immortale aevum, ut fabulae ferunt, degere licebit &c. (*i*) =; qui-

(*a*) Vid. S. Aug. Enar. III. in Pſ. XXXII. n. 15.

(*b*) Vid. S. Auguſt. Quaeſt. 54. inter LXXXIII, & Epiſt. CXVIII, al. LVI. ad Dioſcorum n. 14.

(*c*) Vid. S. Aug. cit. Epiſt. CXVIII. ad Dioſcorum, n. 15.

(*d*) Vid. S. Aug. ibid. n. 16. 17.

(*e*) Vid. S. Aug. L. X. de C. D. c. 1. n. 7. & cap. 2.

(*f*) Apud S. Aug. L. IX. de C. D. c. 17. al. 16.

(*g*) Vid. S. Aug. L. XIV. de Trinit. n. 12.

(*h*) §. LXVII.

(*i*) Vid. apud S. Aug. cit. n. 12. Lib. XIV. de Trinit.

quique in extrema parte quinti Tuſculanarum libri aſſeruit, etiam caecum, aut ſurdum poſſe beatum eſſe Sapientem (*a*); qua plane ſententia beatitudo ad hanc vitam concluditur: ut, inquam, de Cicerone dicere omittamus; Plotinus certe, ceterique veteres Platonici, etſi veritatem de ſummo hominis bono cognoverint, eamdem tamen, ſicut noſtrae Litterae habent (*b*), in injuſtitia detinuerunt. Videntes enim populos terrenarum rerum dilectione caecatos Epicureorum maxime diſputationibus commoveri non ſolum ad *hauriendam*, quò ultro ferebantur, ſed etiam ad defenſitandam corporis voluptatem, ut in ea ſummum hominis bonum conſtitueretur; eos autem, qui adverſus hanc voluptatem virtutis laude moverentur, minus difficulter eam contemplari in animis hominum, unde facta bona, de quibus utcumque poterant judicare, procederent; quam ſi eis conarentur inſinuare aliquam rem divinam, & ſuper omnia incommutabilem, quae nullo adtingeretur corporis ſenſu, ſed ſolum mente intelligeretur, quae tamen naturam ipſius mentis excederet; Epicureis proinde, vel Stoicis multo facilius quam ſibi palmam daturos; maluerunt ſententiam ſuam tegere quaerendam, quam imperitorum populorum irriſione polluendam proferre; contenti contra eos differere, qui verum ſe inveniſſe jactarent, cum inventionem ipſam veri in carnis ſenſibus ponerent (*c*). Non ſolum autem veritatem Dei in injuſtitia detinuerunt Platonici, non audentes reſiſtere erroribus populorum: ſed praeterea, quod de veteribus Philoſophis univerſim Scripturae noſtrae teſtantur (*d*), cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; ac dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt; ceſſerunt enim conſuetudini populorum, eorumque etiam erroribus auctores partim fuerunt (*e*). Nam hi omnes, & ceteri hujuſmodi, & ipſe Plato (*f*) Diis plurimis eſſe ſacra facienda putaverunt (*g*); ac Deum tale bonum ſummum eſſe putaverunt Plato (*h*), aliique Platonici (uno excepto Porphirio, qui hac in re melius a Platone diſſenſit), ut animae poſtquam ipſum fuiſſent adeptae, eoque beatae, poſſent nihilominus ejus taedio capi, ac deliderare corporum corruptibilium labem; atque inde in iſta remeare (*i*).

XCI. Sive autem quae de Deo ſummo hominis bono recte ſenſit Plato, ex ſacris Hebraeorum Libris hauſerit, ex quibus eum plura tranſcripſiſſe affirmant S. Juſtinus Martyr (*k*), Origenes (*l*), Clemens Alexandrinus (*m*), Euſebius (*n*), S. Ambroſius (*o*): ſive, quoniam Plato obiit anno I. *Olympiadis* CIX.; Ptolemaeus autem Philadelphus, ante cujus tempora nulla extitit Sacrarum Litterarum Graeca verſio quam Plato legeret, Olympiade CXXIV, longe proinde poſt Platonis mortem, regnum iniit; viva voce acceperit ab He-

(*a*) Vid. apud S. Aug. Epiſt. CLV. al. LII. ad Macedon. n. 3.

(*b*) Rom. I. 18.

(*c*) Vid. S. Aug. Epiſt. CXVIII, al. LVI. ad Dioſcorum n. 17. 20. 33.

(*d*) Rom. I. 21. 22.

(*e*) Vid. S. Aug. Lib. de Vera Relig. n. 6.

(*f*) In Lib. de Repub. & Legib.

(*g*) Vid. S. Aug. L. VIII. de C. D. c. 12.

(*h*) In Phaedone, in Timaeo, & in Lib. X. de Republic.

(*i*) Vid. S. Aug. L. X. de C. D. c. 30.

(*k*) Orat. Paraen. ad Gentes

(*l*) Lib. VI. c. Celſum.

(*m*) Lib. I. Stromat., & Orat. exhort. ad Gentes.

(*n*) Lib. II. Praepar. Evangel.

(*o*) Serm. XVIII. in Pſal. CXVIII.

Digitized by Google

Hebraeis; ſive potius, ſi verum eſt, quod ſcribit Lactantius (*a*), Platonem indagandae veritatis amore peregrinantem ad Judaeos minime acceſſiſſe, didicerit haec ab Aegyptiis, traditione tamen in iſtos ab Hebraeis derivata; vel a Chaldaeis, quos inter per LXX. annos captivi commorati ſunt Judaei non multo ante Platonem: ſive denique iſta didicerit, quia, ſicut generatim de gentium Philoſophis ſcribit Apoſtolus Paulus (*b*), Quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim Dei a conſtitutione mundi per ea, quae facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas (*c*). Undecumque ille iſta didicerit: in eo certe quod tantus Philoſophus, tantique ab omnibus ſemper habitus, propinquus fuit chriſtianae veritati, aperte revincitur incredulorum temeritas, qui ſe tamquam ſolos, quibus Philoſophiae lumen affulſerit, jactant; nos vero tamquam ignaros atque imperitos, ac vulgaribus praejudiciis implicatos traducunt. De iis autem, in quibus a veritate vir tantus aberravit, convincitur humana ſuperbia, ipſoque experimento comprobatur, verae religioni inveniendae ingenium quantumcumque excellentiſſimum diuturnis quibuſque meditationibus ſuis minime ſufficere; ſed revelatione opus eſſe.

XCII. Verum de revelationis neceſſitate paullo poſt dicemus. Quod nunc attinet ad rem unde agimus: quoniam non eſt inanis appetitus beatitudinis naturae rationali congenitus, & neceſſe proinde eſt exiſtat bonum illud, quo beata ſit, & ſine quo beata eſſe non poſſit (*d*); exiſtit ergo Deus, quippe qui ſolus (*e*) eſt bonum hujuſmodi, quo rationalis natura beata ſit, & ſine quo beata eſſe non poſſit. Invictiſſime proinde ex innato naturae rationali appetitu beatitudinis demonſtratur adverſus Atheos exiſtentia Dei.

XCIII. Convincuntur hinc pariter, qui vel nullam Providentiam deputant: vel ſi deputant; ad eam ſe pertinere non putant. Profecto ſi alterutrum horum eſſet, Deus, eſto adhuc dici poſſet ſummum bonum (quod tamen non eſt facile in illa hypotheſi concedendum), certe non eſſet ſummum bonum hominis. Numquid enim homines Deum poſſiderent nolentem? Quis ita inſaniat, ut & Deum eſſe, & tamen invitum ab homine cogi, ac teneri poſſe exiſtimet? Itaque volens ad fruendum ſe communicabit ſeipſum homini. Quod ſi eſt, non igitur omni homini, nulla habita diſcretione meritorum ſe ipſum communicabit, quaſi caeco impetu raptus; ac veluti ſi homo eſſet ultimus finis Dei, non ipſe Deus ultimus finis hominis. Jam vero ſi Deus, ut ſui fruitione faciat hominem beatum, diſcernit, non quidem perſonas, quod ſummae ejus majeſtati, ſapientiae, juſtitiae, bonitati repugnaret; ſed merita, quod exigunt ejus aequitas, & ſanctitas veritatis; humana igitur curat, atque ad Dei providentiam homines pertinent.

XCIV. Quin illud ipſum, in quo qui Divinam Providentiam negant maximum cauſſae ſuae patrocinium ponere ſolent; videlicet impios ſaepe temporalibus bonis affluere; juſtos contra graviſſimis ſaepe malis affligi; eamdem Providentiam apertiſſime oſtendit, eamque ſic exerceri demonſtrat, ut Deus ultimus finis hominis eſſe intelligatur. Bona itaque & mala, quae verſantur, & mi-

(*a*) Lib. IV. de vera Sapientia c. 2.
(*b*) Rom. I. 19. 20.
(*c*) Vid. S. Aug. L. VIII. de C. D. c. 11. & 12.
(*d*) Vid. ſupra §. LXX.
(*e*) Vid. ſup. §. LXXXVIII.

& miſcentur in hoc ſaeculo nec boni ſoli habent, nec ſoli mali. Facile eſt hoc videre, & bona ſaeculi apud bonos, & malos eſſe; & mala ſaeculi bonos, maloſque perferre (*a*). Dantur ſcilicet bonis, tum ne putentur mala (*b*): tum ut iis conſoletur itinerantes (*c*): tum quia etſi non talia bona ſunt, quae faciant bonos; bona tamen ſunt, unde homo faciat bonum, & operetur juſtitiam (*d*): tum etiam quia ſi ea ſolis darentur malis, timerent boni infirmi converti, ne iſta eadem forte deeſſent (*e*). Dantur autem autem & malis, ne putentur magna vel ſumma bona (*f*), & admoneantur boni alia deſiderare, quae non habeant cum malis communia (*g*); nec putarent mali, propter haec eſſe Deum colendum, ſi ſolis bonis darentur (*h*). Rurſus auferuntur haec bona etiam malis, tum ut iidem illorum amiſſione crucientur (*i*); tum ne ſi ſolis bonis auferrentur, ille idem timor eſſet infirmorum, ne converterentur ad Deum (*k*). Non autem auferuntur *ſolis malis*, ne iſta ſola poena putaretur, qua mali plectuntur (*l*). Sed auferuntur etiam bonis, ſive ut veluti tentatione probati ſibi ipſis, atque etiam aliis ad exemplum innoteſcant (*m*); ſive quia ſaepe etiam juſtus & innocens adquieſcit in domo ſua, in familia ſua, in conjuge, in filiis, in praediolo ſuo, in novella manibus ſuis conſita, in aedificio aliquo ſuo ſtudio fabricato; Deus autem volens eum non habere amorem, niſi vitae aeternae, iſtis velut innocentibus delectationibus miſcet amaritudines, ut in his patiatur tribulationes, ac doceatur amare meliora per amaritudinem inferiorum; ne viator tendens ad patriam ſtabulum amet pro domo ſua (*n*).

XCV. Jam vero quoniam ex innato appetitu beatitudinis demonſtratum eſt exiſtere Deum ultimum finem hominis, quo beatus fiat (*o*); atque ad ejus Providentiam homines pertinere (*p*), uſque adeo, ut ipſamet Providentia in bonorum malorumque temporalium diſpenſatione Deum ſummum hominis bonum commonſtret (*q*); evidens eſt dari legem aeternam, atque immutabilem, ad cujus normam exigantur a Deo quaelibet hominum actiones, ac de iis judicet ſupremus Divinus judex, prout cum illa congruunt, vel ab eadem plus minuſve deflectunt: cujus quidem aeternae, atque immutabilis legis participatio in nobis ſit oportet, quibus acquirendae beatitudinis congenitus eſt appetitus; ut cum per illam legem ſummam, cui obtemperandum eſt, mali miſeram, boni beatam vitam mereantur; ejus participatione, ac veluti promulgatione ſcire poſſimus quae illa vel jubet vel prohibet, ut eidem obtemperando bene vivamus, prout ad beatitudinem acquirendam *requiritur*.

XCVI

(*a*) Vid. S. Auguſt. Serm. XXXVIII. al. CCXLV. de Tempore n. 2.

(*b*) Vid. S. Aug. Epiſt. CCXX. al. LXX. ad Bonifacium n. 10.

(*c*) Vid. S. Aug. Enar. in Pſal. LXVI. n. 3.

(*d*) Vid. S. Auguſt. Serm. LXI. al. V. de Verb. Dom. n. 3.

(*e*) Vid. S. Auguſt. Enar. in Pſal. LXVI. eod. n. 3.

(*f*) Vid. S. Aug. cit. Epiſt. CCXX. n. 10.

(*g*) Vid. S. Aug. cit. Enar. in Pſal. LXVI. eod. n. 3.

(*h*) Vid. S. Aug ibidem.

(*i*) Vid. S. Aug. cit. ſup. Epiſt. CCXX al. LXX. ad Bonifacium n. 10.

(*k*) Vid. S. Aug. cit. Enar. in Pſal. LXVI. n. 3.

(*l*) Vid. S. Auguſt. ibidem.

(*m*) Vid. S. Aug. cit. Epiſt. CCXX. n. 3.

(*n*) Vid. S. Aug. Enar. in Pſal. XL. n. 15.

(*o*) Vid. ſupra §. XCII.

(*p*) Vid. ſupra §. XCIII.

(*q*) Vid. ſupra §. XCIV.

XCVI. Refutati hinc manent illi ex Incredulis, qui (*a*) virtutem, & vitium res eſſe de ſe indifferentes, nullaque ab invicem differentia intrinſeca diſcerni dogmatizant. Quam autem ſit error iſte deteſtabilis etiam iis, qui temporalium amore praepediti, aeterna non intuentur, facili ratione deprehenditur. Nimirum ordo bonum eſt generale hujus univerſi (*b*). Ordo enim ad convenientiam redigit, atque concordiam: convenientia autem, & concordia tendit ad unum: omnia vero compoſita intantum ſunt, inquantum unitatem aſſequuntur: quare ordinatio eſſe cogit; inordinatio contra urget, ut quae erant non ſint (*c*). Bonum igitur cum univerſi, tum ſingularum partium ejus exigit, ut ordo ſervetur, nec perturbetur. Bonum quippe eſt eſſe. Quidquid igitur ad ordinem ſervandum pertinet, bonum erit: quidquid ordinem perturbat, quoniam urget res ad non eſſe, vitium profecto erit, perverſio, corruptio; id enim (*d*) perverti, vitiari, corrumpi dicitur, quod eò tendit, ut non ſit. Porro ante quamcumque legem humanam, atque ab ea prorſus independenter, quaedam fieri poſſunt ab homine, quae ad ſervandum; quaedam, quae ad perturbandum naturalem ordinem pertinent: illa virtutum, haec vitiorum nomine indigitamus. Qui proinde illas ab iſtis intrinſece differre negat, naturalis ordinis, ac per hoc boni generalis hujus univerſi convincitur eſſe inimicus.

XCVII. Nec minus iniquus in hominem deprehenditur, qui negat intrinſecum diſcrimen inter virtutem, & vitium. Eo enim diſcrimine ſublato, cuinam bono data ſit homini ratio, illud ſcilicet praeſtantiſſimum bonum, quo homo ceteris quibuſcumque animantibus praecellit intantum, ut ſibi ea ſubdat, quamvis corporeis viribus validiora, efficiatque voluntati ſuae ſenſu quodam, & conſuetudine ſervire, ut non tam illorum corpora, ſed & animas ſibi ſubjiciat? Ad hoc ſcilicet intelligitur data homini ratio, ut per eam de omnibus judicet, videatque quae ſibi eligenda ſint & agenda, quae reſpuenda vel omittenda. Quae quidem ratio tunc recta eſſe intelligitur, cum meliora inferioribus praeponit: non enim poteſt eſſe recta, niſi ſit recte ordinata; non autem ordo rectus, aut ordo appellandus omnino eſt, ubi deterioribus meliora ſubjiciuntur (*e*). Niſi itaque quaedam eſſent rectae rationi conformia quae eligerentur, quaedam difformia quae reſpuerentur; otioſa prorſus remaneret in homine ratio, ſoloque inſtinctu, beſtiarum inſtar, in appetendis, refugiendiſque objectis moveri hominem oporteret; quod plane eſt hominem ad brutorum ſortem dejicere.

XCVIII. Prorſus itaque agnoſcenda eſt Lex aeterna: eamque nos eſſe dicimus (*f*) ipſam rationem divinam, vel voluntatem Dei ordinem naturalem conſervari jubentem, perturbari vetantem. Juxta hanc legem id dominari debet in homine, quod in ipſo eſt praeſtantius, ſcilicet ratio; eaque debent irrationales animi motus regi (*g*). Ab hoc ordine ſi deviet homo, & appetitus praeponatur ac dominetur rationi, hoc ipſo agnoſcitur eſſe in vitio. Quin & ipſae temporales leges intantum juſtae ſunt, inquantum aeternae illi legi inveniuntur conformes: unde & quamquam juſtae, commutari tamen per tem-

H

(*a*) Vid. ſup. §. XLV.

(*b*) Vid. S. Aug. L. XXI. c. Fauſtum c. 13.

(*c*) Vid. S. Aug. L. de Moribus Manichaeor. num. 8.

(*d*) Vid. S. Aug. ibid.

(*e*) Vid. S. Auguſt. L. I. de Lib. arb. n. 18.

(*f*) Vid. S. Aug. L. XXII. c. Fauſtum c. 27.

(*g*) Vid. S. Aug. L. I. de Lib. arb. n. 18.

tempora juſte poſſunt; inquantum legi illi, quae mutari non poteſt, ipſa temporalium legum mutatio congruit. Veluti ſi Princeps, lata lege, eligendi Magiſtratum poteſtatem Populo tribuat; eamdemque poſtea adimat, cum poteſtate illa populus abutitur flagitioſis, conſceleratiſque hominibus Magiſtratum deferendo (*a*). Uſque adeo ſcilicet virtus, & vitium ſe ipſis diſcernuntur ante quamcumque legem humanam, ut & de ipſarum legum humanarum aequitate ratio judicet. Sola aeterna lex illa eſt, de qua nequit ratio humana judicare; quippe quae imo ſit regula, juxta quam debeat judicare de ceteris (*b*).

XCIX. Quos autem movet, cur, ſi virtutes & vitia non ſunt res indifferentes; ſi extat ſuprema quaedam aeterna, & immutabilis lex, cui ſemper homo obtemperare teneatur; ſimulque Deus providentia ſua cuncta regit atque adminiſtrat; permittantur homines aeternam illam legem violare, bonos etiam ac legem illam cuſtodientes multis modis vexare, atque interim proſperari in omnibus viis ſuis: patiantur ii ſibi perſuaderi, ut cum de optimo & juſtiſſimo & potentiſſimo cogitant, bonitatem & juſtitiam & potentiam ejus longe majorem ſuperioremque eſſe credant, quam quidquid cogitatione concipiunt (*c*). Excepta enim illa profunditate judiciorum Dei, ſecundum quam dum ſuſtinet in multa patientia vaſa irae apta in interitum, oſtendit (*d*) divitias gloriae ſuae in vaſa miſericordiae, quae praeparavit in gloriam: ita enim quid praeſtetur ſibi diſcit gratuito juſtificatus, dum non ſuo merito, ſed gloria largiſſimae miſericordiae diſcernitur a damnato, cum quo eadem juſtitia fuerat ipſe damnandus: ſi autem hi ſoli naſcerentur ex Adam qui eſſent per gratiam recreandi, & praeter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alii homines naſcerentur; lateret beneficium, quod donaretur indignis, quia nullis ex eadem ſtirpe venientibus debitum ſupplicium redderetur (*e*): Excepta itaque illa profunditate, & altitudine judiciorum Dei, quam neque ſi ſit, norunt increduli; facile plane eſt intelligere, non poteſtatem Deo defuiſſe talem facere hominem, qui peccare non poſſet; ſed maluiſſe cum talem facere, cui adjaceret peccare ſi vellet, non peccare ſi nollet; illud prohibens, hoc praecipiens: ut prius illi eſſet bonum meritum non peccare, & poſtea juſtum praemium non poſſe peccare (*f*): ad omnipotentiam autem Dei potius id pertinuiſſe, ut ex libero arbitrio voluntatis venientia mala eſſe permitteret; tanta quippe eſt omnipotens ejus bonitas, ut etiam de malis poſſit facere bona, ſive ignoſcendo, ſive ſanando, ſive ad utilitates piorum aptando atque vertendo, ſive etiam juſtiſſime vindicando (*g*). Non amat ſcilicet Deus damnare, ſed ſalvare: & ideo patiens eſt in malos, ut de malis faciat bonos (*h*). Et ſicut ipſi benignitate, & patientia, ideſt bonis Dei, male utuntur, dum non corriguntur; ſic contra Deus etiam malis eorum bene utitur ad exercitationem, & provectum Sanctorum ſuorum; ut ex ipſa etiam malorum permixtione boni proficiant, & probentur, & manifeſten-

(*a*) Vid. S. Auguſt. ibid. n. 14. & 15.
(*b*) Vid. S. Auguſt. L. de Vera Relig. n. 58.
(*c*) Vid. S. Auguſt. L. III. de Lib. arb. n. 5.
(*d*) Rom. IX. 22. 23.
(*e*) Vid. S. Aug. Epiſt. CXC. al. CLVII. ad Optatum n. 11.
(*f*) Vid. S. Aug. L. de Continentia n. 16.
(*g*) Vid. S. Auguſt. ibid. n. 15.
(*h*) Vid. S. Auguſt. Sermon. XVIII. al. de Tempore CCXX. n. 2.

Digitized by Google

ſiſtentur (*a*). Ita non gratis ſunt mali in hoc mundo: omnis quippe malus aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur (*b*). Nec dubitandum, quin interim habeant mali locum ſuum in hoc ſaeculo ab eo, cui nota ſunt omnia, & qui novit cuncta diſponere. Nam ſi pictor novit, ubi ponat nigrum colorem, ut ſit decora pictura; quomodo neſciet Deus, ubi ponat peccatorem, ut ſit ordinata creatura (*c*)? Et ſi aurifex pendit, aurifex librat; cur Deus non tantum malos permittat eſſe, quantum novit expedire, atque ſufficere admonendae atque exercendae ſanctae Domui ſuae (*d*)? In eo tamen quod male ipſi faciunt, etiamſi eo utatur Deus non ſecundum illorum pravam, ſed ſecundum ſuam rectam voluntatem, evadere nequeunt quod de contemptoribus legis ſuae ipſe conſtituit (*e*). Experturi enim ſunt in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt (*f*): & juſte ordinabuntur in poenis, qui ſe injuſte ordinaverunt in peccatis (*g*); ut voluntas omnipotentis ſemper recta, etiam cum ſinit fieri quaecumque fiunt male (*h*), maneat pariter ſemper invicta, & ſemper impleatur (*i*). Nam, ut facile poteſt quiſque attendere, etiam modo, quando vult, Deus reſpicit, & judicat, & ad horam non differt. Quando ergo differt, futuro reſervat judicio (*k*).

C. Ita ſcilicet impiorum in hac vita felicitas, & frequens juſtorum calamitas aperte declarat intelligere volentibus, nec ſeipſos ſponte excaecantibus ne videant, reddendum unicuique a Deo poſt temporalem hanc vitam ſive bonum ſive malum pro meritis eorum (*l*). Peccatum enim impunitum eſſe non poteſt: injuſtum eſt, ut peccatum impunitum remaneat: ergo ſine dubitatione puniendum (*m*). Soli iniqui iniquum vellent eſſe Deum, ut peccatum non puniat (*n*): ſed non eſt Deus quaſi homo, qui non faciat veritatem & judicium. Quod ſi ergo irritant peccatores Dominum, & ipſe non requirit; prae multitudine ſuae irae non requirit (*o*). Magna eſt tunc ira ejus. Quos enim diligit Dominus caſtigat, & flagellat omnem filium, quem recipit; quis enim filius, quem non corripit Pater (*p*)? Nihil autem infelicius felicitate peccantium, qua poenalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hoſtis interior roboratur, ad theſaurizandam ſibi iram in die irae, & revelationis juſti judicii Dei (*q*).

(*a*) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CCLXIV. al. CXLI. ad Maximam, n. 1.

(*b*) Vid. S. Aug Enar. in Pſal. LIV. n. 4.

(*c*) Vid. S. Auguſt. Serm. CCCI. al. de Diverſ. CX. n. 4. & L. XI. de C.D. c. 23. n. 1.

(*d*) Vid. S. Aug. ibid. & cit. Epiſt. CCLXIV. num. 2.

(*e*) Vid. S. Aug. Serm. CCXIV. qui eſt III. in traditione Symb. n. 3. & L. de Spir. & Lit. num. 58.

(*f*) Vid. S. Aug. cit. n. 58. L. de Spir. & Lit.

(*g*) Vid. S. Aug. L. de Gratia N. T. ſive Epiſt. CXL. al. CXX. ad Honorat. n. 4.

(*h*) Vid. S. Aug. cit. n. 58. L. de Spiritu & Littera.

(*i*) Vid. S. Aug. ibid. & cit. n. 3. Serm. CCXIV.

(*k*) Vid. S. Aug. Serm. XVIII. al. de Tempore CCXX. n. 2. (*l*) Vid. Rom. II. 6.

(*m*) Vid. S. Auguſt. Serm. XIX. al. IV. ex Sirmondianis n. 2. Serm. XX. al. III. ex Sirmondianis n. 2, & Serm. XXIX. al. III. de Diverſ. n. 6.

(*n*) Vid. S. Auguſt. Serm. IX. al. XCVI. de Tempore, n. 9.

(*o*) Pſal. IX. ſed ſecundum Hebraeos X. verſ. 4. Vid. S. Auguſt. Serm. CLXXI. al. de Verb. Domin. XXXVII. n. 5.

(*p*) Vid. Proverb. III. 12. Hebrae. XII, 6. 7. Apocalyp. III. 19.

(*q*) Vid. S. Aug. Epiſt. CXXXVIII. al. V. ad Marcellinum, n. 14. & Rom. II. 4, 5.

CI. Non igitur anima hominis perit cum corpore, ſed ſuperſtes manet ſive ad praemium, ſive ad ſupplicium; hoc eſt vel ad beatitudinem, vel ad miſeriam. Quam veritatem deprehenderunt etiam praeſtantiores illi inter veteres Philoſophi, quos Tullius quaſi conſulares Philoſophos appellat, quod eorum magni pendat auctoritatem (*a*). Porro ſi intereunte corpore anima non interit, ſed manet; profecto intelligimus, vitam non eſſe aliquam temperationem corporis, ſicut nonnulli errantes opinati ſunt (*b*). Et certe *quis bene* ſe inſpiciens non expertus eſt, tanto ſe aliquid intellexiſſe ſincerius, *quanto* removere atque ſubducere intentionem mentis a corporis ſenſibus potuit? Quod ſi temperamentum corporis eſſet animus, non utique id poſſet accidere. Non enim ea res, quae naturam propriam non haberet, neque ſubſtantia eſſet, ſed in ſubjecto tamquam figura, aut motus inſeparabiliter ineſſet, ullo modo ſe ab eodem corpore ad intelligibilia percipienda conaretur avertere, & in quantum id poſſet in tantum illa poſſet intueri, eaque *viſione melior* & praeſtantior fieri. Nullo quippe modo figura, vel motus, vel ipſa etiam corporis temperatio, quae certa commixtio eſt earum naturarum, quibus idem corpus ſubſiſtit, avertere ſe ab eo poteſt, in quo ſubjecto eſt inſeparabiliter (*c*). Eſt ergo animus vita quaedam: unde omne quod animatum eſt, vivere; omne autem inanime quod animari poteſt, mortuum, id eſt vita privatum intelligitur. Non ergo poteſt animus mori. Nam ſi carere poterit vita, non animus, ſed animatum aliquid eſt. Quod ſi *abſurdum* eſt animum non eſſe animum, ſed animatum; non eſt igitur *hoc genus interitus timendum* animo, quod vitae certe non eſt timendum. Nam prorſus ſi tunc moritur animus, cum eum deſerit vita; illa ipſa vita, quae hunc deſerit, multo melius intelligitur animus; ut jam non ſit animus quidquid a vita deſeritur, ſed ea ipſa vita, quae deſerit. Quidquid enim vita deſertum mortuum dicitur, id ab anima deſertum intelligitur: haec autem vita, quae deſerit ea quae moriuntur, quia ipſa eſt animus, & ſeipſam non deſerit, *non moritur animus* (*d*).

CII. Ex hoc ipſo autem quod vita eſt animus, *illorum* error refellitur, qui exiſtimarunt (*e*), diſtingui quidem animum a corpore, & hoc pereunte illum quidem adhuc perſeverare: attamen ad tempus dumtaxat aliquod ſive brevius, ſive diuturnius, non autem ſemper manere. Abſurdiſſime id quidem. Nulla quippe res ſe ipſam deſerit; & id moritur, quod vita deſerit: non igitur animus, qui vita eſt, mori aliquando poteſt (*f*).

CIII. Quod ſi animus non eſſet ſimplex, & incompoſitus; eſſet profecto *vel* temperamentum corporis, vel corpus. Si temperamentum corporis; interiret cum corpore. Si corpus: poſſet plane interire; vel ſcilicet recedente ab eo anima, ſi non animus ſed animatum abſurdiſſime dicatur; vel diſſoluta partium componentium compage, perturbatove eorumdem temperamento, ſi, quod de vita corporis dici non poſſe apertiſſime ratio demonſtrat, id de vita animae majori abſurditate *afferatur*.

Im-

(*a*) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CIV. al. CCLIV. ad Nectarium n. 3.

(*b*) Vid. S. Auguſt. L. de Immortalitate animae n. 17.

(*c*) Vid. S. Aug. ibid.

(*d*) Vid. S. Auguſt. cit. L. de Immortalitate animae n. 16.

(*e*) Vid. S. Aug. Lib. XVIII. de Civit. Dei c. 41. num. 2.

(*f*) Vid. S. Auguſt. L. de Immortalitate animae n. 17.

Immortalitas igitur animae demonſtrat, animam vere eſſe ſubſtantiam; nec in ſe aliquid habere materiae; ac rectiſſime dici ſpiritualem, quo jam nomine appellari conſuevit ens incorporeum ſubſtantiale rationis particeps: ut ſpiritualis ſubſtantia diſtinguatur ab anima brutorum, quae licet ſimplex ſit, & incompoſita, nec accidens, ſed ſubſtantia, ut jam accuratiores Philoſophi oſtenderunt; quia tamen ratione caret, ac per hoc etiam libertate, ſpiritualis appellatione donanda non eſt. Plura non addimus ad confirmandam ſpiritualem animae naturam. Nec enim illis incredulis, qui Materialiſtae appellantur, diſplicet ejuſmodi veritas; niſi quia diſplicet ipſis humanorum animorum immortalitas ad praemium vel ſupplicium poſt hanc vitam pro meritis recipiendum.

CIV. Sed an forte ille interitus formidandus animo humano eſt, quo ipſa exiſtendi ſpecie privatur, atque efficitur, ut nihil ſit; ſicut non incongrue exiſtimatur de anima brutorum? Hic quidem interitus naturae animi non repugnat: quia ſicut Dei voluntate creatur ut ſit, conſervatur ut eſſe perſeveret; ita eadem Dei voluntate in nihilum poſſet reduci. At ſi Deus vellet hominum animas exiſtentia privare non reſervaret judicio ſuo poſt hanc vitam praemium bonorum, ac ſupplicium impiorum; ut proinde ipſa frequens in hac vita impiorum felicitas & bonos affligens calamitas argumentum ſit voluntatis Divinae de animorum noſtrorum permanentia poſt mortem (*a*).

CV. Æternam hanc humani animi futuram durationem ipſe etiam beatitudinis congenitus appetitus evidentiſſime demonſtrat. Vera quippe beatitudo ſine immortalitate eſſe non poteſt. Ut enim homo beate vivat, oportet ut vivat. Quem porro morientem vita ipſa deſerit, beata vita cum illo manere qui poteſt? Cum autem deſerit, aut nolentem deſerit proculdubio, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem; quomodo beata vita eſt, quae ita eſt in voluntate ut non ſit in poteſtate? Cumque beatus nemo ſit aliquid volendo, nec habendo; quanto minus eſt beatus, qui non honore, non poſſeſſione, non qualibet alia re, ſed ipſa beata vita nolens deſeritur, quando ei nulla vita erit? Unde etſi nullus ſenſus relinquitur, quo ſit miſer (propterea enim beata vita diſcedit, quoniam tota vita diſcedit); miſer eſt tamen, quamdiu ſentit, quia ſcit, ſe nolente id conſumi, propter quod cetera, & quod prae ceteris diligit. Non igitur poteſt vita & beata eſſe, & deſerere nolentem (*b*). Si autem volentem deſerit; etiam ſic quomodo beata vita erit, quam perire voluit, qui habebat (*c*)? Reſtat, ut dicant, neutrum eſſe in animo beati: id eſt cum deſeri ſe a beata vita, cum ipſum deſerit tota vita, nec nolle, nec velle; ad utrumque enim parato, & aequo corde conſiſtere. Sed non iſta beata eſt vita, quae talis eſt, ut quem beatum facit amore ejus indigna ſit. Quomodo enim beata vita, quam non amat beatus? Aut quomodo amatur, quod utrum vigeat, an pereat indifferenter accipitur? Niſi forte virtutes, quas propter ſolam beatitudinem ſic amamus, perſuadere nobis audent, ut ipſam beatitudinem non amemus. Quod ſi faciunt; etiam ipſas utique amare deſiſtimus, quando illam, propter quam ſolum iſtas amavimus, non amamus. Deinde quomodo erit vera illa tam perſpecta, tam eliquata, tam certa ſententia, beatos eſſe omnes homines velle, ſi ipſi qui

(*a*) Vid. ſup. §. C.
(*b*) Vid. S. Aug. L. XIII. de Trinit. n. 11.
(*c*) Vid. S. Aug. ibidem.

qui jam beati ſunt, beati eſſe nec nolunt nec volunt? Aut ſi volunt, ut veritas clamat, ut natura compellit, cui hoc eſt inditum: ſi volunt, inquam, beati eſſe, qui beati ſunt, beati non eſſe utique nolunt. Si autem beati non eſſe nolunt, proculdubio nolunt conſumi, & perire quod beati ſunt. Nec niſi viventes beati eſſe poſſunt: nolunt igitur perire, quod vivunt. Immortales ergo eſſe volunt quicumque vere beati vel ſunt, vel eſſe cupiunt. *Non autem vivit beate, cui non adeſt quod vult: nullo modo igitur eſſe poterit vita* veraciter beata, niſi fuerit ſempiterna (*a*).

CVI. Ex quo rurſus apparet, quam turpiter erraverint quotquot beatitudinem hominis qualemcumque in hac vita quaeſierunt, vel potius finxerunt ſive in bonis animi, ſive in virtute, ſive in his omnibus; dum immortalitas deſperatur, ſine qua vera beatitudo eſſe non poteſt. Non eſt mortalitatis hujus vita beata; nec erit, niſi quando & immortalitas erit: *quae ſi homini non tribueretur, fruſtra etiam beatitudo quaereretur, & inane eſſet beatitudinis deſiderium*. Unde & cum beati eſſe omnes homines velint, *profecto & eſſe immortales volunt*. Nam & de immortalitate interrogati, ſicut & de beatitudine, omnes eam ſe velle reſpondent (*b*).

CVII. Illorum pariter veterum Philoſophorum error hinc refutatur, qui cum ad indagandam, inveniendamque animae immortalitatem perveniſſent, ipſi tamen animae beatam vitam non invenerunt ſtabilem; *ideſt* veram: *ad miſerias quippe vitae hujus etiam poſt beatitudinem redire dixerunt* (*c*). Quomodo enim vera beatitudo eſt, de cujus *numquam aeternitate confiditur*: dum anima venturam miſeriam aut imperitiſſime in veritate neſcit, aut infeliciſſime in beatitudine pertimeſcit (*d*)? Nam ſi neſcit; error beatum eſſe animum non ſinit. Quae enim beatitudo ſine veritate, imo cum errore, & deceptione; quando & hic nemo vult falli, quomodo nemo vult mori (*e*)? Si autem novit; timor eum beatum eſſe non ſinit. Ubi enim *timor amittendi* bonum quod amatur, & amatur prae ceteris; ibi *cruciatus eſt, non carnis*, ſed, quod pejus eſt, cordis: ubi autem cruciatus; *quae* beatitudo (*f*)? Si autem dicatur, hoc ita neſcire animum, ut falſis incertiſve non fidat, ſed utrum ſempiternum, an quandoque finem habiturum ſit bonum ſuum, in neutram partem firma aſſenſione feratur; ipſa de tanta felicitate cunctatio beatae vitae plenitudinem profecto non habet (*g*).

CVIII. Quocirca cuivis jam non difficulter occurrit; *utroque conjuncto* effici beatitudinem, quam recto propoſito intellectualis natura *deſiderat: hoc* eſt, ut & bono incommutabili, quod Deus eſt (*h*), ſine ulla moleſtia perfruatur; & in eo ſe in aeternum eſſe manſuram nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur (*i*). Quae cum ita ſint, quid eſt aliud beate vivere, niſi aeternum aliquod clare & intuitive cognoſcendo habere? Quid enim

(*a*) Vid. S. Aug. cit. n. 11. L. XIII. de Trinit. Vid. etiam L. XIV. de C. D. c. 25.

(*b*) Vid. S. Aug. cit. L. XIII. de Trinit. num. 10. & 11.

(*c*) Vid. S. Auguſt. ibid. n. 12.

(*d*) Vid. S. Aug. Lib. XII. de C.D. c. 13. & c. 20. n. 2.

(*e*) Vid. S. Aug. L.XI. de C. D. c. 11. & Serm. CCCVI. al. de Diverſ. CXII. n. 9.

(*f*) Vid. S. Aug. cit. n. 11. L.XI. de C.D. & cit. Sermon. n. 7.

(*g*) Vid. S. Aug. cit. n. 11. L.XI. de C.D.

(*h*) Vid. ſup. §. LXXXVIII.

(*i*) Vid. S. Aug. L.XI. de C.D. c. 13.

enim aliud eſt frui, niſi praeſto habere quod diligis (a)? Quod autem aeternum eſt, omnium rerum praeſtantiſſimum eſt, & propterea id habere non poſſumus, niſi ea re, qua praeſtantiores ſumus, id eſt mente. Quidquid autem mente habetur, noſcendo habetur; nullumque bonum perfecte noſcitur, quod non perfecte amatur; quis enim poteſt noſſe quantum ſit bonum, quo non fruitur? non autem fruitur, ſi non amat. Ergo etiam amare animus debet hoc tam magnum bonum, quod mente cognoſcendum eſt. Et quoniam id, quod amatur, afficiat ex ſe amantem neceſſe eſt; ſit, ut ſic amatum quod aeternum eſt, aeternitate animum afficiat (b). Ex quo iterum patet, eam demum vitam non eſſe beatam, quae aeterna non ſit (c); ac rurſus, Deum eſſe unicum illud bonum, quod beare rationalem poſſit naturam (d): quid enim aeternum eſt, quod aeternitate animum afficiat, niſi Deus (e)?

CIX. Non ſolum autem aeternitate, ſed etiam veritate, ſapientia, gaudio, & ſi quae alia ſunt vere bona, vere optabilia, iis omnibus afficiet Deus in vita beata rationalem naturam; quia non ſolum aeternus eſt Deus, ſed veritas eſt Deus, ſapientia &c.: eſt enim bonum ſummum, & cumulus omnium bonorum: afficiet autem, non convertendo nos in ſubſtantiam ſuam, ut ſtulte aliqui exiſtimarunt (f); ſed ſi aliquid ab his ad illa ſimilitudinis aſferendum ſit, ſic afficiet quomodo lux oculum; ut dum oculus cordis Deum, qui lux eſt, tactu quodam attingit incorporeo & ſpirituali, in hac viſione beatitudinem animus habeat certam atque perpetuam (g). Erimus quippe ſimiles quidem Deo, quia videbimus eum ſicuti eſt (h); ſed non erimus id ipſum, quod Deus.

CX. Haec cum ita ſint, quae tandem cauſſa eſt, cur homo cum tanta ignorantia veritatis, tantaque abundantia vanae cupiditatis veniat in hanc vitam; ut in hac ipſa vita, quae vapor eſt ad modicum parens, erroribus inſuper, offenſionibuſque pleniſſima, beatitudinem quaerat, quam recta ratio demonſtrat eum habere non poſſe, niſi uoi mori, falli, offendique non poſſit, eique certum ſit, ita ſemper futurum? Haereat hic aqua neceſſe eſt acutiſſimis quibuslibet Philoſophorum. Sola Chriſtiana Religio proponendo ex revelatione fidem originalis peccati, inextricabile hujuſmodi enigma clare nitideque diſſolvit. Scilicet cum primum conditus fuit homo, conditus eſt ſine ullo vitio, quia vitiorum non eſt auctor Deus (i), utpote cauſſa non quidem deficiens, cujuſmodi (k) eſt cauſſa vitiorum, ſed ſumme efficiens, & cujus (l) perfecta ſunt opera; ſed rectus conditus eſt (m), ideſt (n) cum bona voluntate, atque (o) in juſtitia, & ſan-

(a) Vid. S. Aug. L. de Morib. Eccleſiae Catholicae n.4.

(b) Vid. S.Aug. L. LXXXIII. quaeſt.35. n.1. & 2. (c) Vid. ſup. §. CV.

(d) Vid. ſup. §. LXXXVIII.

(e) Vid. S. Auguſt. cit. quaeſt. 35. inter LXXXIII. n.2.

(f) Vid. S. Auguſt. L. de Natura & Gratia, num. 37.

(g) Vid. S. Auguſt. L. VIII. de C.D. c. 8. Item Serm. CXVII. al. XVIII. de Verb. Domin. n.5. & L.II. de Sermon. Domini in Monte, n. 43.

(h) I. Joan. III. 2.

(i) Vid. S. Aug. L. I. Op. imp. c.16.

(k) Vid. S. Aug. L. XII. de C.D. c.7.

(l) Deuteron. XXXII. 4.

(m) Eccli. VII. 30.

(n) Vid. S.Aug. L. de Corr. & Grat.n.32.

(o) Epheſ. IV. 24.

& ſanctitate veritatis ; quam accepto deſuper adjutorio retineret, ſi vellet (a), retinendo ipſam voluntatem bonam, per quam Creatori ſuo caſto amore jugiter adhaereret. In voluntate itaque habebat quamdam celſitudinem, ad quam illum evehebat amor ſummi boni, quo amore ſoli Deo ſubjectus erat; creaturis autem inferioribus & ſibi ipſi dominabatur. In *intellectu* habebat clariſſimam rerum praecipue agendarum ſcientiam, quam aeterna, *cui inhaerebat*, veritas in ipſum diffundebat (*b*). Denique torrente *quodam voluptatis* perfundebatur, quae ex ſummo bono in ipſum profluebat, *in quod flagrabat* caritas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta. Sed *poſtquam* homo ſeſe avertit a Deo, & ad ſeipſum convertit, tribus illis bonis ſpoliatus eſt, & immenſam quamdam in ſe vacuitatem expertus. Nec bonis tantum illis ſpoliatus eſt; ſed pro celſitudine invenit ſe depreſſum infra ſe ipſum, & creaturas inferiores, quarum ſe ſervum fecerat per *amorem* concupiſcentiae = : pro ſcientia invenit tenebras, pro voluptate dolores (*c*). *In hanc vacuitatem*, & miſerias lapſus homo conatus eſt quovis modo ruinam iſtam reparare, & rurſus ſe bonis iſtis explere. Sed cum in ſe vires non inveniret, quibus poſſet ad ſummum bonum redire, haeſit in creaturis, atque in illis conatus eſt qualitercumque ſaltem ſuum appetitum ſatiare; non aliter ac facere ſolent qui rabida ſame laborant, qui cum cibum avidiſſime appetant, & nihil tamen cibi inveniant, ipſis etiam ſordibus ventrem replent. Itaque in res creatas per triplicem concupiſcentiam homo exarſit. *Per ſuperbiam* vel appetitum excellendi exarſit in laudem, *honores*, *dominationem ſupra* reliquos, ut ſic primi ſtatus celſitudinem quodammodo ſaltem recuperaſſe *videretur*. Per curioſitatem, ſeu appetitum ſciendi exarſit in varias ſcientias, per quas impleret vacuitatem intellectus, qui a veritate deſertus fuerat. Per concupiſcentiam carnis, ſeu appetitum ſentiendi exarſit in voluptates, quas forinſecus ſibi per omnes ſenſus corporis accerſivit, *ut compenſaret* voluptatem, quae in primo ſtatu ipſi a Deo profluebat. *Ex his concupiſcentiis* pullulant concupiſcentiae aliae, quibus in alia bona creata effunditur (*d*). Sed quoniam haec omnia non poſſunt capacitatem animi rationalis implere, currit & recurrit infelix de uno bono creato in aliud, verſatque ſe aſſidue in omnes partes, ſi poſſit invenire ſatietatem; ac prae caecitate non attendit, quod cum Deus hominem fecerit ad ſe, tamdiu irrequietum erit cor ejus, quamdiu in Deo non requieverit (*e*).

CXI. Nimirum haec eſt peccati poena juſtiſſima, ut qui ſciens recte *non* facit, amittat ſcire quid rectum ſit (*f*), ac deſerens lumen, unde illuminabatur, tenebreſcat (*g*), utque recedens ab uno, cui conjunctus manens efficeretur beatus, diffluat irrequietus in plura (*h*), quae ipſi convertantur in ſup-

(*a*) Vid. S. Aug. cit. n. 32. L. de Corrept. & Grat.

(*b*) Vid. S. Aug. L. XIV. de Civit. Dei c. 10. & 26.

(*c*) Vid. S Aug. L. XIV. de C. D. c. 13. & 15.

(*d*) Vid. S. Aug. ibid. c. 28.

(*e*) Vid. S. Aug. Enarrat. in Pſal. CXLV. n. 5. & L. I. Confeſs. n. 1. & L. VI. n. 26.

(*f*) Vid. S. Auguſt. L. de Natu. & Grat. n. 81. & L. III. de Lib. arb. n. 52.

(*g*) Vid. S. Aug. L. VIII. de Geneſ. ad Litteram, n. 26. Enarrat. in Pſalm. LXX. Serm. II. n. 6. & Enarrat. in Pſam. CIII. Serm. III. n. 2. & L. XIV. de C. D. c. 13. n. 2.

(*h*) Vid. S. Aug. Serm. XCVI. al. de Diverſ. XLVII. n. 6.

ſupplicium (*a*): ut denique voluntas propria, ſi eam homo voluntati ſuperioris extollendo praeponat, grandi ruinae pondere ſuper ipſum cadat (*b*), ac mercedem mutuam peccati ſui in ſemetipſo recipiat, amittens ſub ſe poſitam ſui corporis quodam modo obedientiam, quam praecipuam ſub Domino ſuo ipse contempſerat (*c*); & qui ſua ſuperbia ſibi placuerat, Dei juſtitia ſibi donaretur; nec ſic, ut in ſua eſſet omnimodis poteſtate, ſed a ſe ipſe quoque diſſentiens, pro felicitate cujus ſibi auctor eſſe voluerat, inveniret miſeriam, pro libertate quam concupierat, duram ageret, ſub eo cui peccando conſenſerat, ſervitutem, pro aequalitate quam affectavit habere ad Deum, deprehendat ſe comparatum jumentis inſipientibus; nec jam poſſit regere ſpiritu quod eſt ipſo inferius, ex quo regi noluit a meliore, ideſt a Creatore ſuo, cui liberam debebat ſervitutem (*d*).

CXII. Ita Chriſtiana religio proponens fidem originalis peccati homini demonſtrat ſemetipſum, qui aliàs ſibi ipſi foret aenigma prorſus impervium. Nam ſi attente hominem conſideramus, quales in eo pugnas, quas rixas, quantas contentiones deprehendimus, quibus de ſeipſo adverſus ſeipſum diviſus ſecum ipſe confligit! Gloriae cupiditate illectus geſtit elevare ſe ſupra ſe; ſed dum aſſurgere nititur, retinetur nugis nugarum, & vanitatibus vanitantium. Tranquillitatem optat; & urgetur mordacibus curis ambiendi, & adquirendi, & volutandi, & ſcalpendi ſcabiem libidinum. Deſiderio cognoſcendae veritatis accenditur; at vix in lucem intelligendi conatur, rurſus fatigatione deficit ab inquiſitione veritatis. Felicitati deputat arcem virtutis conſcendere; & nihilominus eligit ſervire libidini. Velle ſibi adjacet; perficere autem bonum non invenit, neque quod vult bonum agit, ſed quod odit malum illud operatur. Et quis ſingula enumeret, quibus in ipſis interioribus ſuis humanus animus repugnantibus inter ſe cupiditatibus aeſtuat, ac veluti diſſipatur? Ordinem & modum in omnibus quaerit, in ſeipſo nec ordinem ſervans nec modum, elatus in proſperis, fractus dejectuſque in adverſis: turbatur, & dolet rerum mutabilitate, mutabilis ipſe in ſingulis pene volitionibus ſuis; in hoc ſolum perverſe conſtantiam praeferens, quod mutabilibus rebus affectu voluntatis inhaereat: domum, villam, amicos, omnia quae habet, vult eſſe bona, praeter ſeipſum: gaudere expetit, & ad penitus gaudendum ineptus eſt: atque ut paucis omnia complectamur, intelligentia invenitur homo ſimilis Deo; pravis autem affectionibus infra beſtias. Quae quidem in uno eodemque homine pugna, atque ejus a ſe invicem diſſimilitudo tanta, & tam magna, Manichaeos omnia ratione metiri volentes impulit, ut in unoquoque homine duas animas eſſe delirarent, bonam unam, cui omnia hominis bona, malam alteram, cui omnia hominis mala tribuenda ſint; quorum haec, ideſt mala, propria carnis ſit, neque a Deo condita, ſed de gente tenebrarum, cujus etiam carnem eſſe dicebant, ac Deo coaeterna: alia vero ideſt bona, ſit ex adventitia Dei parte, quae cum tenebrarum gente conflixerit, atque utramque miſcuerit (*e*). Nos vero in Chriſtiana fide edocti, deſideria illa feli-

(*a*) Vid. S. Aug. Enar. in Pſal. CXLV. n. 5.

(*b*) Vid. S. Auguſt. L. VIII. de Geneſ. ad Litt. n. 31.

(*c*) Vid. S. Aug. L. I. c. Adverſ. Legis, & Prophet. n. 18.

(*d*) Vid. S. Aug. L. XIV. de C. D. c. 15.

(*e*) Vid. S. Auguſt. L. de duab. Animabus n. 1. & L. I. Retract. c. 15. n. 1.

licitatis, veritatis &c. reliquias eſſe, ac veluti veſtigia primaevae conditionis; ignorantiam, concupiſcentiam, difficultatem boni, poenas eſſe originalis peccati agnoſcimus, ac profitemur, & praeſentem hominis ſtatum cum hoc dogmate prorſus convenire deprehendimus. Ut enim egregie Blaſius Paſchalius (a), ſi numquam corruptus fuiſſet homo, de veritate ac de felicitate ſecurus gauderet; ſi ſemper corruptus fuiſſet, nullam haberet veritatis, & felicitatis ideam. Nunc autem continuo erga beatitudinem, ad quam perfecte, dum vivimus, pervenire non poſſumus, inclinatione trahimur, & quamdam veritatis ſubobſcure conſpicimus imaginem; & hoc ſignum eſt primae conditionis: at ab infortuniis ab una, a mendacio ab altera quotidie removemur. Uſque adeo vel invitis datur intelligi a quodam perfectionis, & felicitatis gradu miſere nos eſſe collapſos.

CXIII. Ad miſeriam ſcilicet hominis pertinet, quod naſcatur non ſolum corpore fragili, infirmo, mortali, & innumeris obnoxio moleſtiis, morbis, doloribus; ſed praeterea animo anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines. Quae quidem miſeria incipit a vagitibus parvulorum, & uſque ad decrepitorum gemitus pervenit. Quis enim neſciat, parvulos quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus creſcant? Deinde jam grandes tentat error, ut decipiat; tentat labor, aut dolor, ut frangat; tentat libido, ut accendat; tentat moeror, ut ſternat; tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia, quibus gravatur jugum ſuper filios hominum? Hujus evidentia miſeriae Ethnicos Philoſophos nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes, ſive credentes compulit dicere, ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore poenarum luendarum cauſſa nos eſſe natos, & animos noſtros corruptibilibus corporibus eo ſupplicio quo Hetruſci praedones captos affligere conſueverant, tamquam vivos cum mortuis eſſe conjunctos (b). Qui vero ex illis ſententiam hanc de ſuperiore vita animarum agnoverunt eſſe abſurdiſſimam ex ipſo naturali deſiderio quo anima conjunctionem appetit cum corpore, naturam accuſarunt; ab ipſa hominem dicentes editum in vitam, non tamquam a Matre, ſed tamquam a Noverca (c): non attendentes hanc ſuam naturae accuſationem, & criminationem in ipſum Deum (quod plane quam ſit impium nemo non videt) refundi; cum non aliud ſit natura opifex rerum omnium quae fiunt, niſi Deus: quod certe ſi attendiſſent, numquam naturam opificem rerum in hominis productione culpaſſent.

CXIV. Etſi autem in aſſignanda cauſſa miſeriarum erraverint veteres Philoſophi revelatione deſtituti, incredulis tamen docentibus (d) hominem talem eſſe, qualis eſſe debet, nec fuiſſe conveniens ſervando ſyſtemati ſocietatis a Deo praeſtituto, ut melior conderetur, rectiſſime adverſantur. Cum enim homo ad beatitudinem creatus eſſe monſtretur ex ipſo appetitu beatitudinis, qui ei naturaliter ineſt (e); quin etiam ipſemet Deus ſit ultimus hominis finis, & ſummum illud bonum, cujus fruitione beatus fiat (f), atque ideo per-

(a) In Cogit. cap. III. n. 6.

(b) Vid. S. Auguſt. L. IV. c. Julian. n. 83.

(c) Vid. Cicer. L. III. de Republic. apud S. Aug. cit. L. IV. c. Julian. n. 60.

(d) Vid. Voltaire Lett. ſur les Penſées de Mr. Paſchal. Tom. I. Lett. II.

(e) Vid. ſup. §§. LXX, LXXXVIII, XCII.

(f) Vid. ſup. cit. §. LXXXVIII.

pertineat homo ad providentiam Dei non ſolum illam, qua ut Creator & ſempiternus rerum omnium Dominus cuncta regit, & adminiſtrat; ſed illam quoque, qua reddet creaturae rationali vel ſupplicium, vel praemium (*a*); quomodo abſque ullo merito peccati miſer eſſet homo, & tam miſer, ut, cum ad beatam vitam niſi bene vivendo pervenire non poſſit (*b*), eamque ſi amiſerit, vel ex hoc ipſo aeternum miſer eſſe cogatur (*c*); ignorantiae & difficultati ſubdatur, quibus (*d*) impeditur voluntas ejus, ne moveatur ad faciendum bonum, vel ab opere malo retrahatur? Neque enim ſub juſto Deo miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt (*e*).

CXV. Quod ſi neque ad has lamentabiles totius humani generis voces evigilant increduli, ut tandem aliquando videant, grave hujuſmodi miſeriarum jugum, quod eſt ſuper omnes, non eſſe ex natura inſtituti hominis, ſed ex poena damnati: attendant ſaltem in quantam perverſitatis profunditatem ſe ſe conjiciant, dum concupiſcentiam tamquam bonam laudare coguntur. Nam ſi ea eſt hominis naturalis proprietas, utique Deum habet auctorem: quidquid autem a Deo eſt, bonum eſſe quis dubitet? Nec jam peccatum erit obedire deſideriis concupiſcentiae, & ſervire libidini, ſi non eſt iſta poena hominis, ſed natura. Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus eſt homo, ita ut melius eſſe non poſſit; ea quae debet facit, cum haec facit (*f*). Placetne ergo ipſis ut bona eſſe dicatur concupiſcentia? At ſi bona eſt, cur non ſubditur rationi, quae cum ſit id quod eſt in homine melius & praeſtantius, ceteris quae in homine ſunt debet jure ſuo imperare? Aut cur, ut ipſe quoque Tullius obſervavit (*g*), aliter animus imperat corpori, aliter ratio libidini? Corpori enim imperat animus, ut parens liberis; libidini autem ratio, ut ſervis dominus, quòd eam coërcet, & frangit (*h*). Cur denique verecundia naturali habeant proviſum lupanaria ipſa ſecretum? ut facilius potuerit impudicitia non habere in humanis legibus vincula prohibitionis, quam impudentia removere latibula illius foeditatis (*i*). Si autem fateri coguntur concupiſcentiam eſſe vitium, quid aliud remanet, quam ut vel excaecati abſurdiſſima impietate Deum dicant auctorem vitiorum, aut correcti fateantur concupiſcentiam factam eſſe peccato, ſicut docet Chriſtiana religio?

CXVI. Jam vero ſi Deus nequit eſſe auctor vitiorum, ac per hoc nec concupiſcentiae, utpote quae vitium ſit (*k*): ſi repugnat Divinae Juſtitiae, ut ſub ejus Providentia conſtituta rationalis creatura ad fruitionem ipſius Dei, ut beata ſit ordinata, miſera ſit, niſi mereatur (*l*): si ad hujus vitae miſerias non ſolum mors, aliaeque corporis aerumnae pertinent, verum etiam ignorantia recti, & boni agendi difficultas; manifeſtum eſt, juſtitiam originalem, etiam prout complectitur ordinationem virium animae, ſubjectionem carnis ſpiritui, notitiam & facilitatem agendorum ad beatitudinis plenitudinem, im-

(*a*) Vid. ſup. §§. XCIII., & XCIV.
(*b*) Vid. ſup.§§.XCIII, XCIV, & XCV.
(*c*) Vid. S Aug. de C.D. L.IX. c.13.n.1. & L. XII. c.1. n 1.
(*d*) Vid. S. Aug. L.III. de Lib.arb. n.52. & L.II. de Pecc. merit. n.26.
(*e*) Vid. S. Aug. L. I. Oper.imperf. c.39.
(*f*) Vid. S. Aug. L. III de Lib.arb.n.51.
(*g*) Cic. Lib.III. de Repub.
(*h*) Vid. S. Aug. L.IV. c.Julian. n.61.
(*i*) Vid S Aug. L.XIV. de C.D. c.18.
(*k*) Vid. ſup. §. CXV.
(*l*) Vid. ſup. §. CXIV.

impertito Creatoris adjutorio conſequendam, exemptionem denique a morte ceteriſque hujus vitae miſeriis, bonitate Creatoris humanae in primo homine collatam fuiſſe naturae; in poſteros idcirco, niſi eam peccando amiſiſſet, tranſmittendam; non autem fuiſſe perſonale ipſius Adae privilegium. Quid ergo abſurdum reputant Increduli, ſi, quod apertiſſime habent noſtrae litterae (a), aſſerimus, vitiatam primi hominis peccato naturam, dum concupiſcentia, quae illo peccato facta eſt, propagatur, non niſi vitiatam propagari; licet cetera ſive illius primi hominis poſt ejus lapſum, ſive aliorum peccata in filios minime tranſmittantur? Poſteriora ſcilicet peccata naturam non vitiarunt; ſed vitiatam invenerunt: nec quae natura humana a Conditore ſuo, dum crearetur acceperat, perdiderunt; ſed jam factam totius naturae ruinam, nova in peccantibus, hoc eſt in individua natura, labe cumularunt: ideoque cum perſonam inficiant, non naturam; non transfunduntur in poſteros: at utique propagatur magnum illud Adae peccatum, quo tota humana natura in deterius mutata eſt (b). Et certe quia de Dei aequitate non ambigitur; ideo grave jugum miſeriarum etiam ſuper parvulum, in quo peccata propriae voluntatis inveniri non poſſunt, juſtum eſſe creditur: & quia hoc juſtum eſſe creditur; ideo parvulus ſine peccato originali eſſe non creditur (c); quia non erat juſtum ſine crimine tranſire ſupplicium (d).

CXVII. Nec moveat Incredulos, cur, ſi omnes originali peccato naſcantur obſtricti, ejuſque peccati poenae ſunt ignorantia recti, infirmitas, & boni agendi difficultas, concupiſcentia, mors, ceteraeque hujus vitae miſeriae; non omnes tamen aequaliter hiſce poenis inveniantur obnoxii: ſed alii in uteris matrum, vel in infantili decedant aetate; alii in ſenectam, & ſenium vitam producant; quidam ingenioſi naſcantur; hebetes quidam, ac plane ſtupidi: debilioribus hi, acrioribus illi concupiſcentiae ſtimulis agitentur: plures cogantur in ſudore vultus veſci pane ſuo; dum alii in opulentia luxuriantur: iſti denique aegritudinibus ac doloribus cruciati, inſidiis ac dolis inimicorum appetiti, aemulorum calumniis divexati vitam ducant ipſa morte amariorem; dum interim alii in deſideriis cordis ſui proſperantur. Non, inquam, moveat. Nam ut omittamus rectiſſime dici, quod quidam parentes aggravant in filiis originale peccatum (e), non utique quoad reatum culpae, quam in ſingulos aequaliter transfundi profitemur, ſed quantum ad reatum poenae, & quidem non aeternae, ſed temporalis in hoc ſaeculo; ſaepe Deo reddente hic peccata patrum in filios; quod ſane etſi locum etiam habeat cum agitur de adultis, potiſſimum autem attendi debet in parvulis: ut pariter omittamus, quod ſupra dilucide expoſuimus (f), multipliciter elucere Providentiam Dei, aliaque ipſius attributa in diſtributione bonorum, & malorum hujus vitae, ſive dum punitur impius, ſive dum aut flagellatur, aut exercetur juſtus; & ſive dum peccator affluit bonis, ſive dum ea diſpenſantur pie colentibus Deum; quae quidem praecipue locum habent, cum ſermo eſt de adultis: ut haec, aliaque etiam, quae diligentiori inveſtigatione inveniri

(a) Vid. praeſertim Rom. V. 12.

(b) Vid. S. Thom. 1. 2. q. 81., art. 2. in c.

(c) Vid. S. Aug. L. III. Oper. imperf. c. 7.

(d) Vid. S. Aug. L. II. Oper. imperf. c. 63.

(e) Vid. S. Auguſt. L. IV. Oper. imperf. c. 133. & ex eo S. Proſp. Senten. CCCVI.

(f) Vid. ſup. §. XCIV.

niri fortaſſe poſſent, omittamus; illud ſufficiat ad hoc, ut nec eſſe injuſtitiam apud Deum, nec ullo modo ejus inſtituta turbari, nec fidem originalis peccati labefactari intelligatur; quod ſi Deus ſine cujus voluntate ne unus quidem paſſer cadit in terram, nec unus capillus de capite noſtro perit, praeſcius futurorum ita cuncta in numero & menſura & pondere diſponit, ut non totum quod meretur apoſtatica creatura ſingulis reddat, neminem tamen ſinit mali aliquid perpeti, quod non meretur (*a*). In ampliori ergo poenarum & miſeriarum menſura, quam in hac vita quibuſdam reddit, quid ſinguli mererentur oſtendit: in eò autem, quod non tantum, quantum debetur, ſingulus quiſque patiatur, largitatem bonitatis ſuae nobis commendat: ſimulque ſpem facit, quod etſi nemo poſſet juſtum ejus judicium juſte reprehendere, etiamſi neminem poſt hanc vitam a damnatione, qua univerſum genus humanum tenetur obſtrictum, liberaret (*b*); velit tamen, ut miſericordia ſuperexaltet judicium (*c*).

CXVIII. Sed ecce vix homini beatitudinem naturaliter appetenti debilis cujuſdam atque incertae ſpei ſcintilla ſe objicit, indicans ſic ipſum in miſerias fuiſſe prolapſum, ut tamen facultas perveniendi ad ſummum bonum non ei fuerit adempta; iterum in tenebras ratio ſibi relicta revolvitur. Quamenim condignam Deo offenſo ſatisfactionem homo exhibeat, ut in illius iterum gratiam benevolentiamque poſſit redire? Neque enim ſatisfactio pro arbitrio praeſtanda eſt creaturae, quae reperitur in crimine; ſed Creatoris, cui eſt injuria irrogata peccato. Quid deinde, quod quoniam quantitas injuriae aeſtimatur ex dignitate perſonae offenſae, quidquid in Deum, ejuſque aeternam atque incommutabilem legem peccatur, ex parte termini, ut ajunt, infinitum eſt, atque idcirco ſatisfactio exhibenda Deo pro peccato deberet eſſe infinita, cui proinde praeſtandae nec omnes ſimul creaturae pares eſſe poſſunt? Atque in has quidem anguſtias conjicitur humana ratio, neque ex iſtis quà evadat invenit, etiamſi nihil ſciat aut credat de peccato originali. Nam quis eſt homo ſuae rationi relictus, qui poſſit affirmare, ſe a pueritia uſque ad eam quam agit aetatem, nullo umquam actu propriae voluntatis peccaſſe?

CXIX. An forte dicent, ſaepe quidem peccare homines: at peccare in ſe ipſos, atque in ſui ſimiles; perpaucos autem eſſe, qui eò improbitatis deveniant, ut etiam in Deum audeant eſſe contumelioſi: peccata porro in hominem finitam tantum habere malitiam: ſola peccata in Deum commiſſa veniam habere non poſſe, quia pro iſtis utique nequeat homo digne ſatisfacere? Quod innuere viſus eſt Plato (*d*), dum Homerum irriſit, quia Deos humanis precibus ad veniam tribuendam flecti poſſe tradiderat. Atqui lex aeterna Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans infringitur etiam cum ab homine peccatur ſive in ſe ipſum, ſive in alium hominem? Quomodo igitur ſi peccatur in hominem, homini ſoli irrogatur injuria, & non etiam Deo, dum non obeditur tantae poteſtatis imperio? Aut quomodo ad Providentiam Dei juſtam non pertinebit illos recte ordinare in poenis, qui ſe injuſte ordinaverint in peccatis? aut quomodo non contemnitur Deus, dum

(*a*) Vid. S. Aug. L. II. Op. imp. c. 87.

(*b*) Vid. S. Aug. L. de Corrept. & Grat. n. 28. & L. de Praedeſtin. SS. n. 16.

(*c*) Jacobi II. 13.

(*d*) Vid. S. Juſtinum M. Cohortatione ad Graecos n. 25.

dum eo relicto, quo ſolo frui debet, affectu haeret animus creaturis, eaſque praeponit Creatori; & cum debeat ſe ipſum referre in Deum, avertit ſe ab ipſo, atque in ſe ſtatuit rationem ultimi finis, omnia referendo ad ſe ipſum? Denique non ne ſummae dementiae foret exiſtimare, quod in Regem non peccet, qui illius leges infringit, ordinem ab ipſo ſtatutum pervertere nititur, praecepta ejus nil curat; ſubditos ipſius vexat & laedit; caute autem abſtinet a contumeliis & maledictis in Regis Perſonam evomendis?

CXX. An vero dicent cum Tindalio (*a*), notionem quam de Deo *habemus* eumdem nobis exhibere benignum, patientem, divitem in miſericordia? Itaque ſentiendum de Deo in bonitate: ut ſcilicet, quoniam non poſſumus illatam eidem peccando injuriam ad aequalitatem compenſare, ſatis habeat, ſi pro peccato exhibeamus quod poſſumus; ſincerum ſcilicet animi dolorem, cordis gemitum, ſupplicem veniae exorationem, peccatorum confeſſionem, ac denique victimarum mactationem, qua nempe teſtemur, *minime nos eſſe dignos*, qui proprio parceremus ſanguini, niſi indulgentia interceſſiſſet Creatoris nolentis peccatoris mortem, ſed ut convertatur, & vivat. Nam & optimus Pater filio parcit, & bonus Dominus ſervo dimittit, quin & vir generoſus inimico condonat offenſam; ſi filius, ſi ſervus, ſi inimicus veniam poſtulet, nec dubia praeferat poenitentiae & doloris indicia. At quam verius ſcripſit alius Naturaliſta (*b*), hominem ſapientem (ideſt, juxta hunc Auctorem, hominem ſuae ſectae, naturalem ſcilicet religionem profitentem, atque ad unam rationem attendentem) non invenire *medium aliquod ad ſuorum* erratorum veniam a Deo obtinendam! Ut enim interim omittamus, inanem futuram hujuſmodi poenitentiam, niſi ex Dei offenſi dilectione ſuper omnia, & ut eſt in ſe fons omnis juſtitiae proficiſceretur; hanc vero dilectionem ex ſolis naturae atque arbitrii viribus haberi non poſſe, in ipſa omnium gentium, quas Deus dimiſit ingredi vias ſuas, *hiſtoria*, quin & in teſtimonio conſcientiae propriae dignoſcere poſſe incredulos, *niſi* contentionis ſtudio mallent quae ſunt cuique praejudiciis *vacuo manifeſta*, inficiari: ut hoc inquam omittamus: nulla ſane eſt neceſſaria relatio inter poenitentiam hominis, & indulgentiam Dei; ita ut ſi homo in gemitu cordis ſui ſincere veniam petat, teneatur Deus veniam ſic petenti tribuere; ſed hoc pendet a liberrima Dei voluntate, quae nequaquam conciperetur injuſta etiamſi nemini parceret. Neque quidquam hujus incertitudinis minuitur ex quo videamus ſaepe Patrem filio, Dominum ſervo, offenſum inimico veniam *concedere*. Etenim ſi homo homini parcit; numquid & Deus, quem inter & hominem nulla proportio eſt, ſicut nulla eſt proportio inter injuriam irrogatam homini, & injuriam Deo irrogatam, quae poſtrema illam in immenſum excedit? Quod ſi ratio deprehendit in Deo bonitatem, & miſericordiam infinitam; deprehendit pariter infinitam juſtitiam: ac ſi Deum concipit tamquam optimum patrem, parcendi cupidiorem, quam puniendi; concipit etiam ipſum tamquam optimum univerſitatis legiſlatorem, gubernatorem, proviſorem, ſupremumque Judicem, cujus eſt non dimittere impunita peccata, & extremo damnare ſupplicio graviorum criminum reos, etiamſi hi ſincera ducti poenitentia veniam exorent. Quamdiu

(*a*) In Op. de Religione creationi coaeva pag. 359.

(*b*) Examen de la Religion attribuée à Mr. de St. Euremond chap. 11.

diu igitur hic ſiſtit humana ratio, fluctuet incerta neceſſe eſt ſpem inter & metum. Quod ſi ultra progrediatur, deprehendet, Deum ſi peccata dimittit, ita demum dimittere, ut ſalva ſint ſuae jura juſtitiae; ſimul autem intelliget, modum hunc, quo miſericordia & veritas obvient ſibi, ſeque mutuo oſculentur juſtitia & pax, a ſola Dei ſapientia poſſe inveniri, omnemque hominis captum ſuperexcedere; ad ipſum proinde dignoſcendum, ut per illum peccatorum venia obtineatur, opus eſſe revelatione.

CXXI. Cruentas victimas fuiſſe olim immolatas ad expiationem peccatorum ultro agnoſcimus. Imo cum morem hunc ab ipſis pene humani generis primordiis invaluiſſe advertamus; aliunde vero nullum nexum ratio valeat invenire inter haec ſacrificia, & placationem Dei offenſi, deducimus, ea primitus non fuiſſe humano arbitrio uſurpata, ſed ex Dei admonitu inſtituta; atque inde a patribus ad filios ac nepotes conſuetudinem hanc tranſmiſſam, apud eos perſeveraſſe, etiam poſtquam apud iſtos omnis Divinae revelationis notitia fuiſſet abolita. At ex hoc ipſo, quod ratio non videat eſſe conſequens, ut ſi fur, ſi adulter &c. taurum vel pecudem mactet, Deus illi culpam dimittat, rectiſſime inferimus, nullam certam ſpem veniae poſſe hominem ponere in cruentis hujuſmodi ſacrificiis; ſed docendum eſſe per revelationem, num velit Deus poenitentibus peccata dimittere, quibuſque mediis ad veniam obtinendam, ſi promiſſa ſit, poſſit perveniri. Utrumque primis illis hominibus, qui divinitus admoniti ſunt cruenta ſacrificia offerre, revelatum fuiſſe nos dicimus; ſicut & poſtmodum iterum Judaeis, quibus ſimilia ſacrificia fuerunt lege praecepta. Ipſi enim (*a*) in victimis pecorum, quas offerebant Deo, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futurae victimae, quam Chriſtus obtulit; ac per fidem in eum, non vero per illa ſacrificia, a peccatis mundabantur, quicumque mundabantur. Impoſſibile enim eſt (*b*) ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.

CXXII. Alio praeterea ex capite neceſſaria nobis eſt revelatio. Nam cum homo ſe peccatorem eſſe cognoſcat, ut multum ſentiat de Domino in bonitate, hoc ſolum poteſt ſperare, ut ſcilicet ſincere poenitenti ignoſcat Deus, ne vapulet. Hoc autem homini minime ſufficit; quippe qui non ſolum optat non torqueri ſupplicio, ſed beatitudinis inſuper, hoc eſt fruitionis ſummi boni ducitur deſiderio. Quidnam porro attingit in Dei conſideratione ratio hominis ſibi relicta, vi cujus in ſpem erigi poſſit, fore ut Deus ſervum de peccato ſuo poenitentiam agentem non ſolum abſolvat a poena, verum etiam ad ſui poſſeſſionem, fruitionemque admittat? Nimirum ſine revelatione nullam aliam peccati remiſſionem concipere & ſperare poſſumus, quam legalem quamdam, & forenſem, ſitam in mera condonatione debitae poenae: numquam autem illam, quam profitetur catholica fides per inhaerentem interiorem animae juſtitiam, per quam peccata vere delentur, non praeciſe teguntur aut non imputantur; & per quam vel renaſcimur, vel inſtauramur in adoptionem filiorum Dei, in ſpem aeternae haereditatis.

CXXIII. Cum deinde beatitudo rationalis creaturae ſit frui Deo (*c*), quae fruitio non per abſtractam cognitionem, quae non facit praeſto habere quod dili-

(*a*) Vid. S. Aug. L.XX. c.Fauſtum. c.18.
(*b*) Hebr. X. 4.
(*c*) Vid. ſup. §§. CVIII. & CIX.

diligitur, ſed per intimam Dei cum intellectu creato unionem dumtaxat haberi poteſt (a); Deus autem utpote providentiſſimus atque juſtiſſimus, ſicut pro meritis infligit ſupplicium, ita pro meritis praemium beatitudinis ſit retributurus (b): quid umquam poteſt ratio ſibi relicta deprehendere in homine, quod bonis ejus operibus talem tribuat dignitatem, ut tam *immenſum* bonum, quod omnem creatam naturam excedit, poſſit *promereri; cum aliunde* optime intelligat eadem ratio, oportere, ut media proportionem habeant cum fine?

CXXIV. Denique ſi naturali lumine aſſequimur, debere nos Deo *ſervitutem* religionis: numquid ſcire poſſumus quid ſibi ille a nobis velit *praeſtari*, niſi hoc ipſe revelet? Et tamen nemo neſcit, ſervitutem religionis non ad placitum hominis ſervientis eſſe praeſtandam, ſed ad Domini jubentis voluntatem; ne, quemadmodum etiam Socrates agnovit (c), ſi alio modo eum colat creatura, quam quo ille colendum ſe eſſe voluerit, *non utique Deum colat*, ſed quod creatura ſibi ipſa confinxerit.

CXXV. Quamquam ergo per ſolum rationis lumen praecepta legis naturalis cognoſci poſſunt, ut & alia plura, quorum cognitio ad vitam recte *inſtituendam* neceſſaria ſunt; veluti Deum eſſe colendum, diligendum pariter ſuper omnia utpote bonum ſummum, ad ipſum debere hominem omnia & ſeipſum etiam referre, quippe qui ſit ultimus hominis finis, & ſimilia: attamen alia ſunt, quae niſi Deus revelet, ſciri ab homine non poſſunt; quorum tamen notitia eſt homini ipſi prorſus neceſſaria, ut ad finem tendat beatitudinis, ipſamque aſſequi poſſit.

CXXVI. Ceterum etſi non abſolutam, at *certe moralem neceſſitatem* habet homo, qualis nunc naſcitur, revelationis, etiam quoad naturalia illa praecepta, aliaſque plures veritates, quae ceteroquin naturalem humani intellectus facultatem minime excedunt. Ad ejuſmodi enim veritatum detectionem non niſi magno ſtudio perveniri poteſt. Quam pauci *autem ſunt*, vel qui de hujuſmodi veritatibus detegendis cogitent, *vel ad illas inveniendas* parem operam afferre aut poſſint, aut velint? *Ab ejuſmodi* ſcilicet inquiſitione plerique diſtrahuntur: alii quidem hebetudine ingenii; adverſa alii valetudine; multi pigritia: plures domeſticis curis: alii perverſis animi affectionibus praviſque cupiditatibus. Illi iidem pauci, qui & poſſent & vellent de rebus tantis ea qua par eſt diligentia inquirere, nonniſi poſt diuturnum tempus ad veritatis notitiam pervenirent; neque facile poſſent ceteris conſulere, quorum ſcilicet plures vim demonſtrationum non percipiunt, *praeſertim* de rebus a ſenſibus remotis. Denique & in illa eadem *inquiſitione* propter imbecillitatem intellectus & phantaſmatum permixtionem, qua fit, ut quae optamus vera eſſe credamus, poteſt facile aliquis error ſubrepere, atque inde multa falſitas admiſceri: quod cum prudenter timeatur, eoque magis, quo in re tanta perioculoſior eſt error; aliqua ſemper dubitatio *remaneret*; eaque, praeſertim apud populum a doctis erudiendum, magis augeretur, ſi a diverſis, qui ſapientes dicuntur, diverſa de iiſdem *rebus* traderentur. Neceſſaria proinde eſt homini revelatio in his quae ad *cultum* Dei, & ad vitam pie juſteque inſtituendam pertinent, etiam in iis, quae naturalem

(a) Vid. cit. §§. CVIII, & CIX.
(b) Vid. ſup. §§. XCIII., & C.
(c) Vid. apud S. Auguſt. L.I. de Conſenſu Evangeliſt. n. 26.

lem cognoſcendi vim non excedunt, ut facile omnes, & cum certitudine dignoſcere haec poſſint (a).

CXXVII. Cogitent revera increduli nationes ſingulas, atque intuentes tam multiplicem inter illas Religionum varietatem, tam abſurdam Deorum multitudinem, atque in eorum cultu ritus nefandos, impia ſacrificia, execrabiles ceremonias, inſanias, deliramenta; intelligant, quod ſicut populorum omnium conſenſus de religioſo cultu Divinae Majeſtati impendendo evincit, ex ipſa rationis vi inditam unicuique de neceſſitate religionis perſuaſionem; ita eorumdem diſcrepantia, atque multiplex exerratio in uſu religionis oſtendit, huic accipiendae, multoque minus ſtatuendae hominem parem non eſſe, ſed revelatione indigere. Evolvant pariter eorum ſcripta qui apud Ethnicos ſapientiae laude floruerunt: ibique legentes quam pugnantia inter ſe, & abſurda de Deo, de mundo, de beatitudine, de moribus ſenſerint, docuerint, defenderint, cum tamen in una eademque civitate omnes illae Philoſophorum tam ad invicem contrariae ſectae nedum admitterentur, ſed etiam ad eadem ſacra convenirent (b); agnoſcant rurſum, revelatione omnino opus eſſe homini etiam in iis, quae ratio poſſet inveſtigare.

CXXVIII. Sed ecce dum omnes gentes contemplantur, atque in iis tantam, tamque monſtruoſam religionum, dogmatum, rituum, morum, legum, inſtitutorum diverſitatem & repugnantiam intuentur, una quaedam iis ſeſe offeret Natio non plurium familiarum collectione inſtituta, ſicut inſtitutae ſunt ceterae, ſed ab unico ſtipite originem ducens, a reliquis nationibus non ſolum religione, legibus, moribus, ſed & ſenſibili in carne ſigno circumciſionis diſcreta. Haec ſui generis ſucceſſionem non interrupta generationum ſerie oſtendit, ſuamque profert ordinatiſſimam per temporum ſeriem hiſtoriam, qua nulla invenitur antiquior. Nationi huic non eſt altera ſimilis, ſive ejus ſpectetur cognita antiquitas, ſive uſque ad haec tempora perſeverans poſt tot calamitates & clades duratio. Hujus nationis hiſtoria eos omnes exhibet caracteres, quibus de ejuſdem ſinceritate, & veritate perſuadeamur. In ea ſiquidem non ſolum leguntur, quae ad ejuſdem nationis decus, & gloriam pertinent, verum etiam illa, quae ſcriptor minus ſincerus aut praetermiſiſſet, aut fucato aliquo colore oblinire, & conquiſitis temperamentis emollire ſaltem ſtuduiſſet. Unum Deum Creatorem caeli & terrae, proviſoremque omnium, atque juſtiſſimum pariter retributorem ſe colere, etiam nunc profitetur haec natio, & ab initio uſque profeſſa eſt, cum poſt idola gentes omnes declinaſſent. Hunc Deum aliquibus ſuorum plura revelaſſe, ac per hos ab illo ſe accepiſſe legem, promiſſiones, & oracula futuri cujuſdam Liberatoris, cujus imperium extendendum ſit ad omnes gentes, firmiſſime credit; ac profert Codices a ſe ſumma cura, & diligentia ſervatos, in quibus factam ſibi divinitus revelationem contineri aſſerit. Poſtulat plane aequitas, poſtulat ſtudium veritatis, poſtulat ipſa rei gravitas, ut populo tam remotae antiquitatis, tam ſingulariter a ceteris gentibus religione, moribus, eventibus ſeparato, tanta fiducia libros ſuos aſſerenti divina fuiſſe inſpiratione conſcriptos vel hoc ſaltem deferatur, ut non perfunctorie, ſed omnino diligenter illi, quos profert, codices perlegantur, atque non quidem contentionis ſtudio,

 ſed

(a) Vid. S. Thom. L.I. c. Gentes cap.4. (b) Vid. S.Aug.L. XVIII. de C.D.c.41.n.2.

ſed ſolius tam neceſſariae veritatis amore expendatur, num libri illi aliquos praeſerant Divinae revelationis caracteres. Profecto recta ratio dictat, quod ſiqua facta ſit hominibus revelatio penes hunc populum potius quaerenda ſit, quam apud aliam quamlibet gentem, quae nihil in ſe mirabile habet, ſed diverſorum populorum adunatione inſtituta, ſaepe etiam novis aliorum populorum familiis mixta eſt vel aliena occupando, vel ſua amittendo: cum praeſertim nulla ſit ex antiquis gentibus, quae adhuc vigeat extra chriſtianam religionem, & aliquam ſibi factam revelationem proferat, exceptis Judaeis. Anne increduli, qui exoticas quaslibet hiſtorias, eorumque, qui ad barbaras & remotas nationes, ut earum mores diſcerent ſe contulerunt, narrationes avide amplectuntur, detrectare poterunt, quod eos ad Judaici populi libros provocemus? Philoſophos ſe profitentur, hoc eſt veritatis amatores, honeſtique homines vocari affectant: non igitur metuendum, ne hanc inquirendae revelationis methodum audeant improbare.

CXXIX. In his porro libris principio ſtatim exhibetur finis ad quem creatus eſt homo, dum dicitur factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ac praepoſitus ceteris animantibus, ut eis dominaretur: magna itidem ejuſdem hominis in illa creatione felicitas: datum etiam ipſi praeceptum, quo liberam ſervitutem erga Creatorem ſuum teſtaretur; unicum tamen illud, atque leviſſimum, quo ad obedientiae ſalubritatem adminicularetur, non multiplicitate, aut difficultate gravaretur: tum vero eorumdem primorum parentum praevaricatio mandati, quam ſtatim ſequuta ſit in eorum corporum membris pudenda inobedientia, unde de ſua nuditate, de qua antea non confundebantur, erubeſcerent; ſecuta pariter eorumdem de loco deliciarum expulſio, inflictaque iiſdem ſubjectio laboribus atque doloribus, & moriendi neceſſitas. Jam hinc & hominis excellentia dignoſcitur, & ejus infirmitas; ut nec propter excellentiam ſuperbiendo praeſumat, nec propter infirmitatem ſuae immemor conditionis ſibi ipſi vileſcat, & ad brutorum ſortem ſe deprimat: dignoſcitur unde in nobis ſit cum tantis ignorantiae tenebris tam ardens amor veritatis, & inter tot tantaſque hujus vitae miſerias tam vehemens beatitudinis appetitus: hinc pariter in cognitionem aſſurgimus & bonitatis Creatoris & ſummae ejus in hominis condemnatione aequitatis, & noſtrae in Deum oppoſitionis, atque aeſtuantis in res creatas ſenſuumque voluptates cupiditatis: cum tamen nihil horum poſſit hominem efficere beatum, ſed ſolus Deus. Jam ergo conditionem noſtri ſtatus, & quo merito in hanc devenerimus cognitione aſſequimur, nobiſque ipſis noti efficimur. Quae umquam hiſtoria nitidiores habere potuit veritatis caracteres; quando in id tacita quadam naturae voce commoniti omnium temporum locorumque ſapientes intenderunt, ut ſe ipſum, ſuumque ultimum finem homo agnoſceret, ſibique ipſi fieret manifeſtus?

CXXX. Sed parum eſſet ſi homini ſua demonſtraretur aegritudo, niſi etiam eidem demonſtraretur remedium. Hoc porro eſt id, quod in illis eiſdem Judaeorum libris praeſtitum legimus. Statim enim poſt lapſum, promiſſum eſt humano generi per ſemen mulieris conterendum caput ſerpentis, cujus fallaci promiſſione ſeducta mulier de vetito cibo comederat, ac virum in communionem peccati pertraxerat; ut hac ſpe erectus homo ac Deo promittenti credens, per fidem in Liberatorem ſibi a Deo donandum peccati veniam obtineret;

ret, illiuſque merito mundatus atque juſtificatus in jus beatitudinis, unde peccando exciderat, miſericorditer revocaretur. Poſt plura ſaecula eligitur unus de gente Chaldaeorum pietate fideliſſima praeditus, jubeturque diſcedere de terra ſua, de cognatione ſua, de domo patris ſui, eique promiſſa divina noviſſimis temporibus complenda produntur, atque in ejus ſemine omnes gentes benedicendae promittuntur. Hic gignit filium ſenex de conjuge, quam ſpe pariendi deſtitutam ſterilitas, aetaſque jam fecerat. Renovantur huic divinae promiſſiones; atque ex ipſo propagatur numeroſiſſimus populus, multiplicatus in Aegypto, quò illam ſtirpem ex Orientalibus partibus, promiſſis effectiſque crebreſcens diſpoſitio divina tranſmiſerat. Educitur ex Aegypti ſervitute gens valida, horrendis ſignis atque miraculis, pulſiſque impiis gentibus in terram promiſſionis perducta, & conſtituta, regno etiam ſublimatur. Deinde praevaleſcente peccato, ſacrilegis auſibus Deum verum, qui eis tanta beneficia contulerat ſaepiſſime offendens, variiſque flagellata cladibus, & proſperitatibus conſolata uſque ad Chriſti Incarnationem, declarationemque perducitur. Quem Chriſtum, Dei Verbum, Dei Filium, Deum in carne venturum, moriturum, reſurrecturum, in caelum aſcenſurum, praepollentiſſimo ſuo nomine in omnibus gentibus dicatos ſibi populos habiturum, inque illo remiſſionem peccatorum ſalutemque aeternam futuram eſſe credentibus, omnia gentis illius promiſſa, omnes prophetiae, ſacerdotia, ſacrificia, templum & cuncta omnino ſacramenta ſonuerunt (*a*).

CXXXI. Tam multiplices autem, tamque accurate complectentes circumſtantias ſingulas factae ſunt de Meſſia promiſſiones & prophetiae, ut & cum plenitudo temporis adveniſſet non lateret tam magnum homini divinitus collatum beneficium, ſed inexcuſabiles fierent Judaei, ſi non agnoſcerent; & Divinum eſſe quod promittebatur ipſa oraculorum quaecumque ad Meſſiam ſpectarent praenunciantium manifeſta divinitas aperte monſtraret. Quia enim venturus erat homo inter homines, talia de tempore adventus ejus praedicta ſunt ſigna, quae neminem poſſent latere. Praedictus eſt enim venturus cum defeciſſet Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus (*b*); tempore quartae Monarchiae omnium ampliſſimae (*c*), & occidendus in dimidio ultimae ex LXX hebdomadibus annorum, quarum eſſet initium ab exitu ſermonis, ut iterum aedificetur Jeruſalem (*d*), qui ſermo exiit ab Artaxerſe Longimano anno VII regni ejus (*e*). Ut autem ad finem vergentibus LXX illis annorum hebdomadibus, translatoque jam ſceptro Judaico in Herodem alienigenam commoniti jam Jacobeo, & Danielis vaticiniis Judaei Meſſiam quaererent, neque in ejus perſona errarent, Tribus, genus, & familia Meſſiae aperte declaratur: promiſſus eſt enim naſciturus de Tribu Juda (*f*), ex genere Davidis (*g*), de familia Salomonis (*h*), edendus in lucem in Bethleem, (*i*), vocandus Jeſus, quod Salvatorem ſonat (*k*), adorandus a Magis cum muneribus (*l*), futurus ni-

(*a*) Vid. S. Aug. Epiſt. CXXXVII. al. III. ad Voluſianum, n. 15. (*b*) Geneſ. XLIX. 10.
(*c*) Daniel. II. 40, 44.
(*d*) Daniel. IX. 25, 26.
(*e*) Vid. I Eſd. VII. 12-28.
(*f*) Geneſ. XLIX 10.
(*g*) Iſaiae XI. 1. & ſeq., Jerem. XXIII. 5. 6. & XXXIII. 14. 15.
(*h*) Pſal. LXXI. 1. & ſeq.
(*i*) Micheae V. 2.
(*k*) Habac. III. 18. & Zachar. IX. 9.
(*l*) Pſal. LXXI. 9. Iſaiae LX. 6.

nihilominus humilis *(a)*, in Aegyptum fuga transferendus; atque inde in Judaeam reducendus *(b)*. Ut pariter eumdem jam ſe manifeſtantem agnoſcerent Judaei alia ad id per Prophetas praenunciata ſunt ſigna. Praedicationem ejus praecurſurus praedictus eſt vir angelicis moribus ad id electus & miſſus *(c)*. Ipſum quoque Meſſiam miſſum ad praedicandum annum placabilem & diem ultionis *(d)*, in Galilaea etiam & in Capharnao annunciaturum verbum ſalutis *(e)*, editurum miracula & ſanaturum omnis generis *languores (f)* praenunciatum eſt. Et quoniam Judaei Meſſiam erant negaturi, quin & morti cum tradituri, ſingulae paſſionis & mortis ejus circumſtantiae fuerunt pariter prophetatae. Praedicitur enim concilium adverſus eum congregandum *(g)*; ipſeque prodendus a Diſcipulo *(h)*, vendendus triginta argenteis *(i)*, accuſandus a falſis teſtibus *(k)*, percutiendus in maxilla *(l)*, flagellandus & conſpuendus *(m)*, contumeliis & opprobriis afficiendus *(n)*, a Judaeis & Ethnicis condemnandus *(o)*, cruci affigendus *(p)*, & quidem inter *ſceleratos (q)*; pendens in cruce ſubſannandus a praetereuntibus *(r)*, felle & aceto potandus *(s)*, dividenda veſtimenta ejus, & mittendae ſortes ſuper veſtem ejus *(t)*, pro crucifixoribus oraturus *(u)*, moriturus *(x)*, jamque moriens Patrem inclamaturus *(y)*, eo moriente ſol defecturus, & terra movenda *(z)*, crura ejus non frangenda *(aa)*, ſed latus ejus perfodiendum *(bb)*, denique ſepeliendus *(cc)*: ut videlicet paſſio ejus & mors tanto ante praedicta, pro noſtra liberatione ſuſcepta eſſe intelligeretur; & iiſdem Prophetis, qui quae erant eventura ſub omnium oculis tam diſtincte praenunciaverant, *fides adhibere-tur*, dum ejuſdem Meſſiae reſurrectionem ex mortuis *(dd)*, & aſcenſionem ad caelos *(ee)*, quae non omnibus conſpicua eſſe debebant, ſed tantummodo teſtibus praeordinatis a Deo, prophetabant. Denique ne ubi haec omnia in uno quopiam compleri cernerentur, infidelitas excuſationem haberet, quaſi caſu eveniſſent, & adhuc in vero Meſſia reſtarent ſecundum *divinam* praeordinationem implenda, certis apertiſque limitibus *concluſum eſt* tempus, ultra quod adimpletionis tot tantorumque vaticiniorum expectatio differri non poſſet. Nam poſt conſummatum a Meſſia per mortem ſuam opus redemptionis,

(a) Iſaiae LII. 14.
(b) Oſee XI. 1.
(c) Iſaiae XLIX. 5. Malach. III. 1.
(d) Iſaiae XLI. 1. & ſeq.
(e) Iſaiae IX. 1, 2.
(f) Iſai. XXXV. 5, 6. XLII, 6, 7. & LXI. 1, 3.
(g) Sapien. II. 12-20., Jerem. XI. 19.
(h) Pſal. XL. 10.
(i) Zachar. XI. 12, 13.
(k) Pſal. XXXIV. 11.
(l) Thren. III. 30.
(m) Iſaiae L. 6.
(n) Pſal. LXVIII. 8. & ſeq. Sapient. II. 19. Iſaiae LIII. 3. 4. Thren. III. 30.
(o) Pſal. II. 1, 2.
(p) Numer. XXI. 9. Pſal. XXI. 18. Zachar. XII. 10. XIII. 6.
(q) Iſaiae LIII. 12.
(r) Pſal. XXI. 8, 9.
(s) Pſal. LXVIII. 22.
(t) Pſal. XXI. 19.
(u) Iſai. LIII. 12.
(x) Ibid. ver. 7. & ſeq. Jerem. XI. 19. Daniel. IX. 26. Zachar. XII. 10. & XIII. 7.
(y) Pſal. III. 5. 6. Pſal. XVII. 5-7. *Pſal.* XXI. 1. & ſeq.
(z) Pſal. XVII. 5., Amos VIII. 8.
(aa) Exod. XII. 46. Numer. IX. 12.
(bb) Zachar. XII. 10.
(cc) Iſai. XI. 10., Thren. III. 53.
(dd) Pſal. III. 6., XV. 9. 10., XL. 9., Oſee XIII. 14.
(ee) Pſal. XXIII. 7. XLVI. 6. LXVII. 5.

nis, expletiſque jam LXX. hebdomadibus praedefinitis, Civitas Jeruſalem a populo alienigena cum duce venturo diſſipanda praedicta eſt, una cum Sanctuario, ita ut finis ejus ſit vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio uſque ad conſummationem & finem perſeveratura (*a*); ipſi vero Judaei, quorum eſt incredulitas praenunciata (*b*), futuri praedicti ſunt diebus multis ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim(*c*), reverſuri ad Dominum dumtaxat in noviſſimo dierum (*d*). Judaeis vero reprobatis, omnes Gentes, ſicut pariter praenunciatum eſt, abjectis idolis (*e*), ad Meſſiam fluent (*f*), ipſum deprecabuntur (*g*), eique ſervient (*h*); atque ita quae prius non erant populus Dei erunt populus Dei(*i*), & haereditas Meſſiae (*k*); ac multi filii deſertae magis quam ejus quae habet virum (*l*); non enim erit ſolum in Judaea notus Deus, ut antea (*m*), ſed magnum erit Nomen ejus in gentibus,& in omni loco offeretur Deo oblatio munda(*n*).

CXXXII. Porro haec omnia ſicut leguntur praedicta, ita cernuntur impleta. Venit Chriſtus, atque in ejus ortu, vita, dictis, factis, paſſionibus, morte, reſurrectione, aſcenſione omnia praeconia Prophetarum divinae inſpirationis teſtimonium acceperunt. Tum vero reprobata per infidelitatem gens Judaeorum a ſuis ſedibus extirpata per mundum uſquequaque diſpergitur: templa & ſimulacra daemonum, rituſque ſacrilegi paulatim atque alternatim ſecundum praedicta prophetica ſubvertuntur, ac per omnes gentes Eccleſia Chriſtiana fructificat. Quae tandem mens contra hujus divinae auctoritatis lumen, culmenque contendat (*o*)?

CXXXIII. Et illa quidem quae de Chriſto erant veterum oracula Prophetarum in illo fuiſſe completa Evangelica hiſtoria, & ſcripta Apoſtolorum teſtantur. At ne & his Libris caracter divinae inſpirationis deeſſet, quam multa in iiſdem vel promiſſa ſunt vel praenuntiata, quae jam ex parte videmus impleta? Miſſurum ſe Spiritum Sanctum, ſicut & a Judaeorum Prophetis fuerat praenunciatum (*p*), promiſit Chriſtus Apoſtolis ſuis (*q*), ſeque cum ipſis futurum uſque ad conſummationem ſaeculi (*r*), nec umquam portas inferi praevalituras adverſus Eccleſiam ſuam (*s*), quippe quae fundata eſſet ſupra firmam petram (*t*). Simul autem ipſe Chriſtus Jeſus praedixit iiſdem Apoſtolis ſuis, praedicandam fore ab iis in nomine ejus poenitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes (*u*); inchoandam autem hujuſmodi praedicationem ab Jeruſalem (*x*); non ſolum autem in Jeruſalem futuros ſibi teſtes

(*a*) Daniel IX. 26, 27. Vid. & Iſai. V. 5-7. Vid. etiam Deuteron. XXVIII. 49. & ſeq.
(*b*) Daniel. IX. 26.
(*c*) Oſee III. 4.
(*d*) Ibid. verſ. 5.
(*e*) Iſaiae II. 17. 18., XVIII. 4-8.
(*f*) Iſaiae II. 2, 3.
(*g*) Iſaiae XI. 10.
(*h*) Pſal. LXXI. 11.
(*i*) Oſee I. 10., II. 24.
(*k*) Pſal. II. 8., LXXXI. 8.
(*l*) I. Reg. II. 5. & Iſaiae LIV. 1. & ſeq.
(*m*) Vid. Pſalm. LXXV. 1.
(*n*) Malach. I. 10. 11.
(*o*) Vid. S. Auguſt. Epiſt. CXXXVII. al. III. ad Voluſianum n. 16.
(*p*) Joel. II. 28. 29.
(*q*) Lucae XXIV. 49, Joan. XIV. 16, 17, 26. XVI. 7. & 13.
(*r*) Matth. XXVIII. 20. Joan. XIV. 18.
(*s*) Matth. XVI. 18.
(*t*) Ibid. & VII. 24.
(*u*) Lucae XXIV. 47.
(*x*) Ibidem.

ſtes eoſdem Apoſtolos; ſed quoniam eſſent propter hujuſmodi praedicationem pellendi a Synagoga (*a*), futuros itidem ſibi teſtes in omni Judaea, & Samaria, & uſque ad ultimum terrae (*b*): multos hinc venturos ab Oriente & Occidente, & accubituros cum Abraham & Iſaac & Jacob in Regno caelorum; filios autem regni ejiciendos foras (*c*): ſurrecturos *pſeudoprophetas*, & venturam abominationem praedictam a Daniele (*d*): praedicandum Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus (*e*): ubicumque autem praedicatum fuerit Evangelium in toto mundo, annunciatum pariter iri, quod erga Jeſum praeſtitit in Bethania in domo Simonis *Leproſi* pia illa mulier, quae habens alabaſtrum unguenti pretioſi effudit ſuper caput ipſius recumbentis (*f*). Multos itidem futuros in Eccleſia ſua malos praenuntiavit Chriſtus aſſimilando Eccleſiam ipſam ſagenae miſſae in mare & ex omni genere piſcium bonorum ſcilicet & malorum congreganti (*g*), ac denunciando, neceſſe eſſe ut veniant ſcandala (*h*), futurum ut abundet *iniquitas*, & refrigeſcat caritas multorum (*i*), multos ideo eſſe vocatos, paucos vero electos (*k*). Sed & in ſcriptis Apoſtolorum multa eſſe praedicta ex eorumdem lectione unicuique eſt manifeſtum: inter quae illud quod ſupra adnotavimus (*l*), defecturos multos in incredulitatem, ob cordis corruptionem, & quidem (*m*) in noviſſimo tempore; cujus praedictionis veracitati atteſtantur ipſi iidem increduli: itemque illud aliud, oportere eſſe haereſes (*n*), quod quolibet Eccleſiae ſaeculo factum eſſe novimus, noſtroque etiam impleri *conſpicimus*; ſicut & illa quae a Chriſto praedicta retulimus *impleta fuiſſe partim certis* monumentis cognovimus, partim noſtris ipſi oculis intuemur.

CXXXIV. Quid ad haec increduli? An forte arbitrantur a Chriſtianis illa eſſe conſcripta, ut iſta, quae jam credebant, majus haberent pondus auctoritatis, ſi antequam venirent putarentur eſſe promiſſa? Hoc ſi ſuſpicantur, inimicorum noſtrorum Judaeorum codices perſcrutentur. Ibi legant, quae commemoravimus, praenunciata de Chriſto, de excidio *Jeruſalem*, de Eccleſia ex gentibus, ſicut cernimus, congreganda. Sed cum legunt, non mirentur, quod iſta illi, quorum codices ſunt, propter inimicitiarum tenebras non intelligunt. Nam eos non intellecturos ab iiſdem Prophetis ante praedictum eſt; quod, ut cetera, oportebat impleri, & occulto juſtoque judicio Dei meritis eorum poenam debitam reddi. Ille quippe, quem crucifixerunt, & cui fel & acetum dederunt, quamvis in ligno pendens, propter eos, quos fuerat in lucem de tenebris educturus, dixerit Patri, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: tamen propter ceteros, quos occultioribus cauſſis fuerat relicturus, per Prophetam tanto ante praedixit (*o*), Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto; fiat menſa eorum coram ipſis in muſcipulam & in retributionem & in ſcandalum; obſcurentur oculi eorum ne

(*a*) Joan. XIV. 2. 4.
(*b*). Act. I. 8.
(*c*) Matth. VIII. 11, 12.
(*d*) Matth. XXIV. 11. 15.
(*e*) Ibid. Verſ. 14.
(*f*) Matth. XXVI. 13.
(*g*) Matth. XIII. 47, & ſeq.
(*h*) Ibid. verſ. 41.
(*i*) Matth. XXIV. 12.
(*k*) Matth. XX. 16., XXII. 14.
(*l*) Vid. ſup. §. XIV.
(*m*) Vid. ſup. §. XXXI.
(*n*) Ad Titum III. 10.
(*o*) Pſal. LXVIII. 22, 23, 24.

ne videant; & dorſum eorum ſemper iocurva. Cum cauſſae itaque noſtrae praeclariſſimis teſtimoniis circumquaque ambulant oculis obſcuratis, ut per eos haec probentur, ubi & ipſi reprobantur. Ideo factum eſt, ne ſic delerentur ut eadem ſecta omnino nulla eſſet; ſed diſperſa eſt ſuper terras, ut portans collatae in nos gratiae prophetias ad convincendos firmius infideles nobis ubique prodeſſet. Et hoc ipſum fuerat pariter prophetatum: Ne occideris eos, inquit (*a*), ne quando obliviſcantur legem tuam; diſperge eos in virtute tua. Non ſunt ergo occiſi, in eo quod non ſunt quae apud eos legebantur & audiebantur obliti. Si enim Scripturas ſanctas quamvis eas non intelligant, penitus obliviſcerentur, in ipſo Judaico ritu occiderentur: quia cum Legis & Prophetarum nihil noſſent Judaei, prodeſſe non poſſent. Ergo occiſi non ſunt, ſed diſperſi: ut quamvis in fide, unde ſalvi fierent, non haberent; tamen unde nos adjuvaremur, memoria retinerent, in libris ſuffragatores, in cordibus noſtri hoſtes, in codicibus teſtes (*b*).

CXXXV. An eo confugient increduli, ut Evangelicam hiſtoriam, cujus ſi veritatem admittunt, veracia fateri coguntur oracula Prophetarum, dicant a Chriſtianis primorum temporum fuiſſe confictam, ut Chriſto, inſtitutaeque ab eo religioni fidem conciliarent: quod nuperrime, ſub ſpecie juvandae religionis, excitandique novos vindices ad illius veritatem magis comprobandam, collectis undique ſparſiſque ſuper apoſtolica origine Evangeliorum dubitationibus, ſuſpicionibus, divinationibus, ſophiſmatibus, perſuadere molitus eſt Nicolaus Freretus (*c*)? Sed meminerint, ſe velle haberi, & vocari honeſtos homines. Porro honeſtum ne hominem agerent, ſi notiſſimis, ac jam per ſeptemdecim ſaecula in manibus omnium libris conſtitutis credendum eſſe negarent; dum proſelytis ſuis imperant, aliosque gravi quodam doctrinae & eruditionis ſupercilio adigere nituntur, ut credant prolatis a ſe Epiſtolis Judaicis, Perſis &c., aut Commentariis de origine, moribus, inſtitutis nationum vel loco, vel tempore remotiſſimarum; quamquam nemo neſcit hujuſmodi omnes ſcriptiunculas ex ipſorum cerebro, odio Chriſtianae Religionis ſuadente, prodiiſſe (*d*)? Meminerint rurſus, ſe in ſingulis pene lucubrationibus ſuis profiteri, hoc maxime ſibi cordi eſſe, ut humanae cognitionis limites amplificentur. Ad id vero rerum geſtarum Hiſtoriam, & veterum ſcripta plurimum prodeſſe nemo ignorat. At nonne vident, conſequi omnium litterarum ſummam perverſionem, & omnium qui memoriae mandati ſunt librorum abolitionem, ſi quod tanta populorum religione roboratum eſt, tanta hominum & temporum conſenſione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne hiſtoriae quidem vulgaris fidem poſſit gravitatemque obtinere (*e*)? Poſtremo meminerint, ſe philoſophiſmum profiteri, nihilque velle ſibi eſſe perſuaſum, niſi clara apertaque reddita ratione. Jam vero Evangelicam Hiſtoriam mendaciter eſſe conſcriptam non ſolum nullam habet veriſimilitudinis ſpeciem, ſed a recta ratione prorſus abhorret. Quid

enim;

(*a*) Pſal. LVIII. 12.

(*b*) Vid. S. Aug. L. de Fide rerum quae non videntur n. 9. & L. XIII. c. Fauſtum c. 10. & 11.

(*c*) Vid. Libellum inſcriptum = Examen critique des Apologiſtes de la Religion Chretienne par Mr. Freret, Secretaire perpétuel de l'Academie des Inſcriptions & belles-Lettres 1767.

(*d*) Vid. S. Auguſt. L. de Mor. Eccleſ. Catholicae n. 61.

(*e*) Vid. ibidem n. 60.

enim? Confictam ne dicent viventibus adhuc iis; coram quibus contigiſſe narratur? Ita ne vero Pontifices, & Sacerdotes Judaeorum, Scribae, Phariſaei, populus univerſus tuliſſent, Chriſtum praedicari tamquam mirabilium operum effectorem, ab ipſis tamen falſo accuſatum, atque impie damnatum ad mortem? Quae enim in ea hiſtoria referuntur, ſpectant populum aeque, ac Magiſtratus cum ſacros tum civiles; dicuntur geſta non *clam ſed palam*, & Judaeorum omnis coetus multitudine ſpectante: neque ſunt *res levis* momenti, ſed ad Religionem, & mores pertinent: attamen ii qui *Apoſtolorum* praedicationi obſtiterunt, admiſſa Hiſtoria, id ſolum conati ſunt, *ut* perſuaderent, Chriſtum impoſtorem fuiſſe, mira patraſſe magicis artibus, & juſte tandem crucis ſupplicio affectum. Quo etiam argumento evincitur, non eſſe confictam Hiſtoriam Actuum Apoſtolorum, ſi eo tempore ſcripta fuit, quo adhuc vivebant homines, coram quibus ea, quae ibi narrantur, contigiſſe debuerant. At neque confingi potuit Hiſtoria ſive *Evangelica, ſive Apoſtolorum*, cum jam vita functi erant illi, coram quibus contigiſſe ſcribitur. Quocumque enim poſt mortem illorum tempore vulgata fuiſſet, ad rerum tam novarum narrationem evigilaſſet orbis univerſus: reclamaſſent Judaei, atque Gentiles; omnibuſque incredibile viſum fuiſſet, res tantas, in conſpectu Populorum, tantaque eorumdem commotione geſtas, ſi vere geſtae fuiſſent, potuiſſe ita premi ſilentio, ut nihil de illis verbo, aut ſcripto memoriae proditum extaret. Intererat plane Judaeorum, toti orbi patefacere falſitatem illius hiſtoriae, in qua illorum in Chriſtum & *Apoſtolos impietas* exhibetur: intererat & Gentilium, qui Deorum ſuorum cultum everti *videbant* per narrationem rerum, quae olim contigiſſe dicebantur, & tunc ſine ullo teſte proferebantur. Stolidum atque inſenſatum fuiſſe oportuit mundum totum, ſi non modo Novi Teſtamenti hiſtoriam ſic receperit; ſed etiam illius auctoritate commotus antiquam ſuam fidem, & religionem mutaverit: *quin ullus* inventus ſit, qui impoſturam detegeret, & *novarum fabularum, vel potius im*manium mendaciorum architectos orbi univerſo denunciaret.

CXXXVI. Nos contra ad confirmandam Apoſtolicam Evangeliorum originem, ac veracitatem totius hiſtoriae Novi Teſtamenti, proferre poſſemus, *nihil* in iis ſcriptis haberi, quod ad illam aetatem non pertineat; aut quod ab Hiſtoricis ſive Judaeis, ſive Paganis ullo modo diſcordet; aut quod poſtea contigiſſe ſuſpicari vel leviſſime quiſquam poſſit. Nullus Chronologicus, vel Geographicus error in iis libris occurrit; & accuratiſſime *locorum ſitus*, ubi res a Chriſto vel ab Apoſtolis geſtae dicuntur, deſignantur. Quae ibi de religione, legibus, politia, ceremoniis, opinionibus, ſectiſque Judaeorum, de Samaritanis, de Athenienſibus, de Romanis leguntur, Scriptorum Judaeorum atque Ethnicorum teſtimoniis ſunt confirmata. Conſuetudines in Libris N. T. commemoratae, & multiplices Jeſu Chriſti praeceptiones *Chriſtianis* ſemper cognitae perſpectaeque fuerunt, neque ulla in iis reperitur lex, quae non fuerit initio ab iiſdem cuſtodita: nullus de iis ritibus ſermo, qui poſt Apoſtolorum aetatem ad divini cultus Majeſtatem augendam inducti fuerunt. Ubique in his Libris elucet ſimplicitas, pietas ſumma in Deum, ſtudium virtutis, effuſa in omnes caritas, ſollicitus pro hominum ſalute ardor, tempeſtiva adverſus errantes ſeveritas, contra inſidiatores robuſta auctori-

tas:

tas: quas ſane partes male ageret improbus impoſtor. Apoſtolorum peccata in Evangeliis recitantur; nec tacetur eorum craſſa ignorantia, ſtupiditas, praejudicia, ambitio, contentiones, puſillanimitates, fuga tempore paſſionis, proditio Magiſtri ab uno eorum facta, trina Petri negatio, omnium trepidatio, tarditas ad credendum in omnibus, quae locutae ſunt Scripturae de Chriſti paſſione, & reſurrectione. Triginta ferme annos ſumma in obſcuritate Chriſtum vixiſſe exhibent; vixque unam aut alteram infantiae, pueritiae, & adoleſcentiae ejus circumſtantiam commemorant: contra factum fuiſſe novimus ab impoſtoribus nonnullis, qui tempus illud ſelegere, ut mirabilia plura a Jeſu Chriſto patrata fuiſſe perſuaderent. Quinimo Evangeliſtae Matthaeus (*a*), & Lucas (*b*) referentes, Judaeos quaeſiviſſe ſignum a Chriſto, & quidem de caelo, Chriſtum exhibent illorum deſideriis, ac petitionibus minime ſatisfacere voluiſſe; cum tamen opportunam ſatis occaſionem habuiſſent confingendi, prodigia magna & inſignia in aëre fuiſſe viſa, ſi impoſtorum artibus fuiſſent dediti, qui fictiones hujusmodi ſaepe excogitant, ut ſuorum heroum geſta colluſtrent. Denique peractam juſſu Herodis infantium caedem indicat Macrobius (*c*): Jeſum fuiſſe mirabilium operum effectorem, & nihilominus a primoribus Judaeorum accuſatum, & a Pilato ad crucem damnatum fuiſſe, neque tamen ab eo diligendo diſcipulos ipſius abſtinuiſſe, quibus ille poſt tertium diem redivivus apparuerit, ſcribit Flavius Joſephus (*d*); addens eo quo ipſe ſcribebat tempore, II. ſcilicet Eccleſiae ſaeculo, perſeverare denominatum ab illo Chriſtianorum genus; quod teſtimonium autographum eſſe celeberrimi ex noſtris Theologis invicte demonſtrarunt, ad quorum ſcripta, ad alia nos properantes, incredulos remittimus. Iis pariter, quae de morte & gloria Chriſti refert Hiſtoria Evangelica adteſtantur Acta Pilati ad Tiberium Imperatorem & Senatum miſſa (*e*); non illa quidem, quae interpolata a Paganis Maximinus Imperator poſtea latius publicavit, & in Scholis legi, & ubique cantari juſſit ad Chriſtianorum opprobrium (*f*); ſed illa, ad quae provocarunt confidentiſſime II. Eccleſiae ſaeculo S. Juſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis, Tertullianus in Apologetico, quem Librum anno Chriſti CXCVIII. ſcriptum fuiſſe demonſtravit Moshemius (*g*); & Lucianus Antiochenae Eccleſiae Presbyter qui in perſecutione a Diocletiano mota initio ſaeculi III. Martyr occubuit. Tandem inſignem ſolis defectionem, cujuſmodi nulla ante cognita fuerit, anno II. (*h*) Olympiadis CCII. qui fuit annus XV. Imperii Tiberii Caeſaris, ſive XVI, ſi anni Tiberii ſupputentur, ut facit S. Hieronymus, cum anno ſaeculari, non vero a ſextili menſe & & obitu Auguſti, contigiſſe hora diei ſexta, ſimulque terrae motu multas

L aedes

(*a*) Cap. XII. 38, 39.
(*b*) Cap. XI. 15, 29.
(*c*) L. II. Saturnalium, c. 4.
(*d*) Lib. XVIII. Antiq. Judaic. c. 4. Vid. apud Euſeb. L. I. H. E. cap. 10. & Demonſtrat. Evangel. L. III. c, 5., S. Hieronym. de Script. Eccleſ., Hegeſip. L. II. de Excidio Judaeor. c. 12., Iſidor. Peluſiot. L. IV. Epiſt. 125., & alios.
(*e*) Vid. Euſeb. L. II. H. E. c. 2.
(*f*) Vid. Euſeb. L. I. H. E. cap. 9.
(*g*) Diſquiſit. Chronologico-critica de vera aetate Apologetici a Tertulliano conſcripti, ad Sigebertum Havercampium.
(*h*) Apud Euſeb. L. VIII. H. E. pag. 558. edit. Baſileenſis, & S. Hieronym. in cap. IX. Danielis.

aedes Niceae in Bythinia corruiſſe, commemorat Phlegon Hadriani Imperatoris Libertus (*a*): ille vero annus fuit emortualis Jeſu Chriſti, ut graviſſimi Scriptores oſtenderunt (*b*). Ejuſdem Eclypſis meminit Thallus Ethnicus pariter ſcriptor (*c*); ejuſque memoriam in Archivis Romanorum aſſervatam teſtantur, & ad eorumdem Archivorum fidem provocant Tertullianus (*d*), & Lucianus Martyr (*e*). Sed & Indos magnam illam ſolis *defectionem* in ſuis monumentis deſcriptam habere, oſtendit Cl. Laurentius *Boturini* (*f*).

CXXXVII. Haec, aliaque urgere poſſemus adverſus incredulos ad *confirmandam* ſinceritatem Hiſtoriae Novi Teſtamenti. Sed praeſtat *controverſias* quaslibet praecidere, omnemque eis cavillandi occaſionem penitus eripere. Itaque veritatem Hiſtoriae, de qua agimus, ex ipſis vaticiniis invicte demonſtrari animadvertimus. Nimirum vaticinia de Jeroſolymorum everſione, de diſperſione Judaici populi, de Eccleſia in Chriſti nomine congreganda ex omnibus gentibus, conjuncta ſunt cum vaticiniis de Chriſto in carne *venturo*, miracula edituro, pro ſalute hominum morituro, a mortuis reſurrecturo, novum Teſtamentum condituro, figuras omnes & prophetias impleturo. Illorum vaticiniorum veracitas, quae ex eventu innoteſcit, horum veracitatem demonſtrat. Et haec igitur impleri debuerunt, & impleta jam ſunt, quoniam ante illud Jeroſolymae excidium, ac populi diſperſionem complenda fuiſſe praedictum eſt. Verax eſt ergo Novi Teſtamenti *Hiſtoria*, quae quaecumque complenda fuerant, completa eſſe demonſtrat, eoque *modo* & tempore, quo fuerat praenunciatum. Adeo ſcilicet mira *eſt conſonantia hiſtoriae* & vaticiniorum in libris Veteris, ac Novi Teſtamenti! *Vaticinia fidem conciliant* Hiſtoriae; Hiſtoria vaticinia veracia fuiſſe demonſtrat: Libri Veteris Teſtamenti libris Novi; atque hi viciſſim illis teſtimonium perhibent, ſuamque mutuo veracitatem divinitatemque confirmant.

CXXXVIII. Ex vaticiniis porro, quae in utriuſque foederis *libris* continentur, divina eos inſpiratione fuiſſe conſcriptos, ac *Dei ad homines revelationem* factam in iis contineri, manifeſtiſſimum *eſt*. Siquidem ſolius Dei eſt futura praedicere. Quo loco caveant increduli, ne adverſus tam claram, lucentemque veritatem pugnare velint productis Idolorum, quae gentes venerabantur, oraculis; quaſi vaticinia quae in libris noſtris leguntur, & quae impleta eſſe partim certiſſima teſtificatione cognoſcimus, partim ipſis quoque oculis cernimus, non ſint indubium divinae illorum inſpirationis argumentum. Quid enim commune habent vel ſimile cum vaticiniis Prophetarum *vaniſſima* oracula Idolorum? Nam daemonum praedictiones vel inferiorum fiunt praeſenſione cauſſarum, ſicut arte medicinae quibuſdam antecedentibus ſignis plurima eventura valetudini praevidentur: vel immundi ſpiritus ſua diſpoſita facta praenunciant, quorum jus & in mentibus atque cupiditatibus iniquorum ad quaeque congruentia facta ducendis quodam modo ſibi vindicant, & *in* materia infima fragilitatis humanae. At non talia Prophetae noſtri *praedixe*runt,

(*a*) L. Olympic. Chronic. c. 19.

(*b*) Vid. Berti Lib. XXIX. de Theolog. Diſcipli. c. 7.

(*c*) Lib. III. Hiſtor.

(*d*) Apologetici cap. 21.

(*e*) Apud Rufinum L. IX. Hiſtor. c. 6.

(*f*) In Lib. cui titulus = Idea de una nueva Hiſtoria General de la America Septentrional an. 1747.

runt, niſi ad eorum fidem faciendam, quae mortalium ſenſibus non poterant, nec ad experimentum celeri facilitate perduci. Sed alia vere magna, atque divina praenunciarunt. Chriſtus quippe in carne venturus, & quae in illo tam clare perfecta ſunt, atque in ejus nomine impleta, poenitentia hominum, & ad Deum converſio voluntatum, remiſſio peccatorum, gratia juſtitae, fides piorum, & per univerſum Orbem in veram divinitatem multitudo credentium, cultus ſimulacrorum & daemonum ſubverſio, Eccleſiae a tentationibus exercitatio, ejuſdemque firma ſtabilitas: quae omnia non ſolum in Eccleſiis noſtris ab exordio nominis Chriſtiani, verum etiam, quod ad grave teſtimonium contra omnes inimicos valere adnotavimus, in Judaeorum Synagogis antiquiſſima, & notiſſima recitantur (*a*). Haec, inquam, vere magna atque divina Prophetae noſtri praecipue praenunciarunt; ad horum vero fidem tunc ſuadendam nonnulla etiam temporalia, & terrena, Deo monſtrante, praedixerunt, citius eventura. Qua in re admirabilis plane elucet revelationis oeconomia, digna plane ſumma Dei ſapientia, & erga ſalutem hominum miſericordiſſima bonitate. Promiſſiones enim de ſtatu temporali Judaeorum fidem iiſdem faciebant de veracitate promiſſionum futuri Meſſiae; ut quoniam illas viderent impleri, iſtas non dubitarent implendas. Quae mirabilis oeconomia nos etiam complectitur, qui tanto poſt Chriſtum tempore futuri eramus: quibus videlicet non ſolum temporalium promiſſionum relate ad Judaeos impletio divinam Prophetarum de Meſſia praedicantium inſpirationem demonſtrat; verum etiam promiſſiones de Eccleſia in utriuſque foederis libris contentae, quas videmus impletas, fidem faciunt indubiam, quod impleta pariter fuerint quaecumque erant de Chriſto praenunciata; quodque ſicut praedicta ſunt, omnia evenient, quae adhuc reſtant implenda.

CXXXIX. Quod ſi Sibylla, vel Sibyllae, & Orpheus, & Hermes, & ſi qui alii vates vel theologi, vel ſapientes, vel philoſophi gentium de Filio Dei aliqua praedixiſſe perhibentur (id quod Scripturis noſtris minime adverſatur in quibus prophetaſſe Balaamum (*b*), & Caipham (*c*); Ariolum illum hominem, impium iſtum Judaeum, legimus); valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem convincendam; non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam: cum illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos idola & daemonia colenda partim docere auſi ſunt, partim prohibere auſi non ſunt. At illi ſancti Auctores noſtri eum populum, eam rempublicam, tale regnum, imperante & adjuvante Deo, propagaverunt, atque rexerunt, ubi ſacrilegium eſſet, quod iſtis religio fuit. Unus enim ab eiſdem colebatur Deus, qui fecit caelum & terram, prophetico ſane ritu, hoc eſt ſignificativo futurorum, qui ritus aboleretur, cum illa veniſſent, quae per eum ſignificabantur eſſe ventura: quandoquidem ipſum regnum magnus quidam Propheta fuit, ubi Rex & Sacerdos myſtica ſignificatione ungebantur: quod non ante, ipſis quoque Judaeis ignorantibus ac per hoc invitis, ablatum eſt, niſi cum venit ille gratia ſpirituali unctus Deus prae participibus ſuis, ille Sanctus Sanctorum, idem verus

(*a*) Vid. S. Auguſt. L. X. de Civit. Dei cap. 32. n. 3. & L. de Divinat. daemonum num. 9, 10, 11, 12.

(*b*) Numer. XXIV. 17, & ſeq.

(*c*) Joan. XI, 49-52.

rus Rex conſulendo nobis, & idem verus Sacerdos ſe ipſum offerendo pro nobis(a).

CXL. Si denique moveri ſe dicant increduli, ne veraces eſſe Scripturas noſtras acquieſcant, quia in iis quaedam occurrunt, quae ipſis videantur abſurda, quaedam etiam ſecum ipſis pugnantia; patiantur, ut eos remittamus ad praeclara illa volumina, quibus inanes iſtas veterum hoſtium Chriſtianae Religionis querelas penitus diſpunxerunt catholicae Eccleſiae *Doctores*; ac praeſertim ad egregios S. Auguſtini libros de Doctrina Chriſtiana, *de Conſenſu* Evangeliſtarum, de Utilitate credendi, contra Adimantum Manich*aei diſcipulum*, contra Fauſtum Manichaeum, contra Adverſarium Legis & *Prophetarum*: ex quorum lectione dubitationem omnem exuere poterunt. Interim vero, etſi plura ſunt in Scripturis, quae ſe non intelligere affirmant, non tamen propter tarditatem ſuam in intelligendo poſſunt vel ad momentum detrectare ne in Scripturis noſtris, quarum divinam inſpirationem tot tantaque vaticinia eventu confirmata demonſtrant, divinam revelationem *contineri fateantur*.

CXLI. In his porro Libris ſive qui ad vetus, ſive qui ad novum pertinent Teſtamentum multa legimus vel a ſanctis Dei viris, vel a Jeſu Chriſto, vel ab Apoſtolis patrata miracula: ut proinde evidens ſit, non minus deliraſſe Spinoſam in neganda miraculorum, quam olim Zeno in neganda motus localis poſſibilitate. Quibuſcumque nimirum nebulis, quas miraculis offundere conantur Increduli, penitus diſſipandis, frenandiſque vanitantibus prae ſuperbia hominum ingeniis, illud maxime opportunum eſt, haec quae miracula eſſe propugnamus, in his Libris eſſe *deſcripta*, atque inter *miracula* relata, quin & futura fuiſſe praedicta, qui divini eſſe *ex aliorum vaticiniorum* adimpletione monſtrantur. Cui vaticiniorum certitudini ſi attenderent Increduli, puderet eos adverſus veritatem miraculorum in Libris noſtris deſcriptorum, atque etiam ex parte praedictorum *frivolas* dubitationes, *inanes* conjecturas, aliaque figmenta a ſenſu etiam communi *abhorrentia proferre*.

CXLII. Qua in re non ſatis mirari poſſumus *Thomae Woolſthoni inſcitiam*, qui ut miraculorum Chriſti fidem elevaret, *licet* in Evangeliis veram de Chriſto hiſtoriam contineri fateatur, *aperta* vi totius hiſtoriae ſeriem ad perpetuas allegorias detorquens, figurate accipienda eſſe contendit de ſanatione ab aegritudinibus animae, quae de curatione a morbis corporis referuntur. Cum ex ipſo Evangelio evidens ſit, Jeſum Chriſtum ad ſuam poteſtatem dimittendi peccata oſtendendam Paralyticum imperio ſanaſſe (*b*); eaque ſigna ad convincendam incredulitatem Judaeorum patraſſe, quae ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent, olim eae gentes in cinere, & cilicio poenitentiam egiſſent (*c*).

CXLIII. Firmiſſimum autem eſſe argumentum veritatis Chriſtianae Religionis, quod ducitur ex miraculis a Jeſu Chriſto, ejusque Apoſtolis patratis, nemo non videt. Cum enim ea naturae vires excedant, ac proinde *ad* eadem virtus divina requiratur, divinum continent teſtimonium; *quod certe* perhiberi non poſſe niſi veritati, ipſa ſumma Dei veracitas omnino *perſuadet*.

CXLIV. Perperam autem ad elevandam miraculorum fidem opponerent nobis

(*a*) Vid. S. Auguſt. Lib. XIII. c. Fauſtum, c. 15.

(*b*) Matth. IX. 2-7. Marci II. 5-12. Lucae V. 20-25.

(*c*) Matth. XI. 21. Luc. X. 13.

nobis Increduli Hiſtoriam gentium plura mirabilia vel a Diis ſuis ; vel ab eorum cultoribus patrata commemorantem. Perperam inquam. Eorum quippe alia ut mira haberentur ſola fecit populorum ignorantia ; velut ſanationes aliquot ab Aeſculapio, & ab Apollonio inter Aeſculapii Sacerdotes rei medicae aetate illa peritiſſimos enutrito peractae, non imperio, & poteſtate, ſed adhibitis potionibus, & herbarum ſuccis: alia vero conficta eſſe ex eo oſtenditur, quod in his referendis ipſi Hiſtorici, ſicut ait Varro, quaſi data opera atque ex induſtria inter ſe diſſentiunt; vel etiam quia, ut conſtat de nonnullis quae dicuntur patrata ab Apollonio, itemque de iis, quae tribuuntur Mahumeti, ſine ullo teſte ea proferunt, nec tacent ſine teſte eveniſſe: alia autem fiunt a Daemone, dum aut ſpecietenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipit; aut laedit primum, dehinc remedia praecipit ad miraculum nova, vel etiam contraria, ut poſtquam deſiit laedere, curaſſe credatur; aut corpora inducit alia, alia ſubducit; aut applicando activa paſſivis vel movendo cauſſas naturales, exhibet effectus, quorum cauſſa in natura utique eſt, etſi a nobis non videatur; atque ita ſeducit homines, Deo id permittente in poenam vel ſuperbiae, vel curioſitatis, vel impietatis eorum. Sunt proinde ſigna mendacia, quomodo appellantur ab Apoſtolo (*a*) quae editurus eſt Antichriſtus; & ſaepe veris miraculis vincuntur, quomodo virga Aaron devoravit virgas Magorum (*b*), & horum virtus in tertio ſigno penitus defecit (*c*). Siquae autem ſunt ab Infidelibus patrata vera miracula, patrata ea ſunt per ſigna publicae juſtitiae (*d*); velut cum aliqui in Evangelio memorati (*e*) ejiciebant Daemonia in Nomine Jeſu Chriſti, nec tamen Chriſtum ſequebantur; in quo quidem (*f*) pro Religione Chriſtiana ſunt non contra ipſam. Apparet itaque inſigne diſcrimen inter mendacia ſigna magicis vel theurgicis artibus patrata, atque inter miracula Chriſti, & Apoſtolorum; quibus praeterea factis ut mundus crederet, fidem adſtruit totius mundi ad Chriſtianam Religionem converſio.

CXLV. Quamquam etiamſi de Chriſto, & Eccleſia teſtimonia nulla praeceſſiſſent, nulla miracula illius divinitatem, & hujus veritatem oſtendiſſent, quem non movere deberet ut crederet, repente illuxiſſe divinam humano generi claritatem, quando videmus relictis Diis falſis, & eorum confractis uſquequaque ſimulacris, templis ſubverſis, aut in uſus alios commutatis, atque ab humana veternoſiſſima conſuetudine tot variis ritibus extirpatis, unum verum Deum ab omnibus invocari? Et hoc eſſe factum per unum hominem ab hominibus illuſum, comprehenſum, vinctum, flagellatum, expalmatum, exprobatum, crucifixum, occiſum: Diſcipulis ejus, quos idiotas & imperitos & piſcatores & publicanos, per quos ejus magiſterium commendaretur, elegit, annunciantibus ejus reſurrectionem, aſcenſionem, quam ſe vidiſſe dixerunt, & impleti Spiritu Sancto hoc Evangelium linguis omnibus, quas non didicerant, ſonuerunt. Quos qui audierunt, partim crediderunt, partim non credentes praedicantibus ferociter reſtiterunt freti potentia Caeſarum, aucto-

(*a*) II. Theſſal. II. 9.
(*b*) Exodi VII. 12.
(*c*) Exodi VIII. 18. 19.
(*d*) Vid. S. Auguſt. Lib. LXXXIII. Q. quaeſt. 79. n. 1. & 4.
(*e*) Marci IX. 37.
(*f*) Ibid. verſ. 39.

Digitized by Google

auctoritate Sacerdotum, ſapientia Philoſophorum. Ita fidelibus uſque ad mortem pro veritate, non mala rependendo, ſed perpetiendo certantibus; non occidendo, ſed moriendo, vincentibus: ſic in iſtam Religionem, quae vitiis omnibus, omnibus corrupti cordis cupiditatibus juge bellum indicit, ſic ad hoc Evangelium, quod humanae ſuperbiae obſiſtens jubet captivari intellectum in obſequium fidei ſublimium myſteriorum omnem humanum captum excedentium, corda converſa mortalium, marium & faeminarum, parvulorum atque magnorum, doctorum & indoctorum, ſapientium & inſipientium, potentium & infirmorum, nobilium atque ignobilium, excelſorum & humilium; & per omnes gentes Eccleſia diffuſa ſic crevit, ut etiam contra ipſam catholicam fidem nulla ſecta perverſa, nullum germen oriatur erroris, quod ita reperiatur Chriſtianae veritati adverſari, ut non affectet, atque ambiat Chriſti nomine gloriari; quod quidem non ſineretur pullulare per terram, niſi exerceret ſanam & ipſa contradictio diſciplinam. Quando tantum crucifixus ille potuiſſet, niſi Deus hominem ſuſcepiſſet, etiamſi nulla per Prophetas talia praedixiſſet (a)? Et ſi per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur reſurrectionem, & aſcenſionem praedicantibus Chriſti, nulla miracula facta ſunt: quam grande miraculum eſt ceteris aliis ſublimius, quod talia de Chriſto terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit (b)?

CXLVI. Praeſens denique Judaici Populi ſtatus multimodis militat veritati Chriſtianae Religionis. Quae enim alia natio non ſic victoribus ſuis victa ceſſit, ut eis permiſceretur, in eorum Religionem cederet, unumque cum iis populum ita conſtitueret, ut poſt diuturnum aliquod temporis ſpatium nulla amplius inter utrumque populum diſcretio vel ſervaretur, vel etiam recoleretur? Sola Judaeorum gens & victa eſt, & non deſtitit eſſe quod erat: ceſſit in jura Romanorum; ita tamen, ut non amiſerit formam Judaeorum: ſubdita eſt Romanis; ſed Leges ſuas tenuit, quae ſunt Leges Dei: per omnes gentes diſperſa eſt; ſed in Lege ſua manſit, quantum ad Dei cultum attinet, patrias conſuetudines ritumque cuſtodivit. Everſo templo ſuo, extincto Sacerdotio priſtino, ſicut dictum eſt a Prophetis; ſervant tamen Judaei circumciſionem, & morem quemdam, quo a ceteris gentibus diſtinguuntur. Ita ſcilicet neceſſarium erat ad teſtimonium veritatis. Sparſi ſunt ubique Judaei, ut quoniam ex omnibus gentibus colligenda erat Eccleſia, & in omnibus gentibus fructificatura, haberet in omnibus gentibus inimicos portantes codices, quibus Chriſtus praedicatur, & ſicut praedictus eſt praeſentatur; quibus etiam ipſorum Judaeorum praenunciata eſt infidelitas, & diſperſio omnibus patens; quibus denique illorum converſio ad Chriſtum, poſtquam intraverit plenitudo Gentium, prophetata eſt. Quod certe teſtimonium tam multiplex, tam magnum, tam evidens ſinceritatis codicum, veracitatis vaticiniorum, manifeſtaeque Providentiae ut cum ea, quae reſtant, impleta fuerint agnoſcantur, minime haberetur; niſi haec gens quomodo ſpeciali Dei electione initio diviſa eſt a ceteris gentibus, ſingulari pariter diſpoſitionis Divinae ordinatione ſola prae reliquis gentibus inter omnes gentes ſparſa ſine exemplo ab iis diſtincta maneret.

CXLVII.

(a) Vid. S. Aug. L. de Fide rerum quae non videntur, n. 10.

(b) Vid. S. Aug. L. XXII. de C. D. c. 5.

CXLVII. Jam vero Chriſtiana Religio tanto vaticiniorum & figurarum apparatu prophetata, tot miraculis confirmata, tam mirabiliter propagata, ab ipſis inimicis ab initio uſque modo ubique tam manifeſtis teſtificationibus roborata, ex utriuſque foederis libris tanta auctoritate divinis ea omnia eruit, atque in ſe unà contineri oſtendit, quae ad veram beatitudinem obtinendam homini ſunt neceſſaria. Ipſa proinde, & quidem ſola, eſt vera religio: ſola pariter vere utilis, quia in ea ſola homo ad ſalutem pervenire poteſt, nec extra eam aut vera juſtitia, aut aeterna ſalus poteſt obtineri.

CXLVIII. Quid eſt ergo, quod impudentiſſime inclamant increduli, Chriſtianam Religionem felicitati Reipublicae obeſſe? Quaſi ſcilicet Religio, quae homini praecipit bene vivere, ut eò perducatur ubi beate vivat, Reipublicae bono convenire non poſſit? Attendant potius, quod cum Reſpublica conſtet multitudine hominum in quoddam vinculum reducta concordiae, ſola Religio Chriſtiana eſt, quae ſocialis praecepta concordiae non humanis diſputationibus exquiſita, ſed divina auctoritate praeſcripta, non ad oculum, ſed ex animo ſervanda proponit, ſub aeternarum comminatione poenarum, aeternorumque pollicitatione praemiorum (*a*).

CXLIX. Quid eſt rurſus quod pari impudentia gloriantur de humana ſe ſocietate optime mereri? Ita plane ſit, ſi humana ſocietas felix futura ſit impunitate vitiorum, non verarum copia virtutum: vel ſi de homine ille bene mereri cenſendus ſit, qui eum a via perveniendi ad beatitudinem, quam naturaliter appetit, abducere quibuſcumque artibus conetur.

CL. Manifeſtum eſt imo & privati, & publici boni prorſus intereſſe, ut ablegata incredulitate, omnique impietate, in omnium cordibus vigeat Religio vere Chriſtiana, quae gemino Caritatis praecepto legem totam concludens & cuſtodit tranquillitatem atque ordinem terrenae civitatis, & praeſtat, ut (*b*), ſi unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae & donationis & juſtitiae accipientes, in vita regnaturi ſimus per unum Jeſum Chriſtum.

(*a*) Vid. S. Aug. Epiſt. CXXXVIII. al. V. ad Marcellinum n. 9. & ſeq. (*b*) Rom. V. 17.

Digitized by Google

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri *Palatii* Apoſtolici.

F. A. Epiſcopus Montis Alti ac Vicesgerens.

IMPRIMATVR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

MAG 2010635